

# Karol Wojtyła

---

## Quaestio de fide apud S. Joannem a Cruce

---

Collectanea Theologica 21/4, 418-468

---

1949

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej [bazhum.muzhp.pl](#), gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

KAROL WOJTYŁA

## QUAESTIO DE FIDE APUD S. JOANNEM A CRUCE

Praenotanda statim videtur significatio abbreviationum. Hae intelligendae sunt modo sequenti:

- „S“ — „Subida del Monte Carmelo“
- „NO“ — „Noche oscura“
- „Cant.“ — „Cantico espiritual“
- „Ll.“ — „Llama de amor viva“.

In textibus citandis semper intelligenda est editio; „Obras de San Juan de la Cruz, Doctor de la Iglesia, editadas y anitadas por el P. Silvio de Santa Teresa C. D.“ quinque voluminibus, facta in Burgos annis 1929—1931.

Omnia, quaecumque in hac synthetica reasumptione componentur, radices suas mittunt in longa et exacta analysi textuum. Hic tamen nonnisi effectus datur particularium scrutiniorum textualium, connotata quandoque hac parte operum S. Doctoris, ubi doctrina talis fundata invenitur.

### 1. MOMENTUM PROPRIUM FIDEI IN OPERIBUS S. JOANNIS A CRUCE.

Quomodo quaestio de fide invenitur in famosa illa tetralogia s. Joannis a Cruce, Doctoris Ecclesiae?—en, primum quaestum huius dissertationis. Bene enim communiter scitur: opera S. Auctoris, etsi verum et plenum systema theologicum constituent, compositum cum perfecta logica intrinseca, non tamen partem praecipuam in speculativa et abstracta explanatione problematis ponunt. Praevalet descriptio vitae mysticae in suis particularibus phaenomenibus, quae omnino concretam as-

sumunt speciem. Ista attamen phaenomena coordinantur una ex parte magna experimentali scientia eorum, quae in vita mystica occurunt, alia ex parte autem quibusdum principiis, quae valore gaudent omnino metaphysico. Hoc modo traditur nobis talis plenitudo doctrinae, quae simul nos particularia et concreta vitae supernaturalis docet et simul aspectum metaphysicum et abstractum ipsius aperit.

Ad plenitudinem vitae mysticae pertinent in subiecto humano pluria elementa, quae omnia componuntur a S. Doctore in operibus eius in speciem alicuius theologiae subiecti. Unumquodque enim valorem suum habet non solum psychologicum, connaturalem subiecto, in quo degit, sed etiam intime theologicum propter rationem obiecti, cui animam humanam eiusque potentias aperit. S. Joannes a Cruce habet propriam conceptiōnem vitae supernaturalis et mysticae, quae omnia opera eius informat: est conceptio unionis animae humanae eiusque potentiarum cum Deo. Quae unio supernaturalis, prout ex SII, 5 patet, consistit in communicatione supernaturali animae humanae cum Deo secundum ordinem gratiae, ubi Deus animae non solum tamquam creator et conservator essendi ipsius unitur, sed, ubi mediante gratia et caritate offert sese illi supernaturaliter<sup>1)</sup>, secundum intima suae Deitatis. Sic ergo unio supernaturalis animae humanae in hac vita cum Deo appetit tamquam plena et semper plenior actualisatio vitae supernaturalis, cuius germen inhaeret animae per gratiam gratum facientem.

Sed ipsa gratia gratum faciens constituit solummodo statum habitualem, habitum unionis in substantia animae<sup>2)</sup>.

<sup>1)</sup> „...anunque es verdad que... está Dios siempre en el alma dándole y conservándole el ser natural de ella con su asistencia, no, empero, siempre la comunica el ser sobrenatural. Porque éste no se comunica sino por amor y gracia...“, SII, 5, 4.

<sup>2)</sup> „Ahora sólo trato de esta unión total y permanente según la sustancia del alma y sus potencias en cuanto al hábito oscuro de unión

S. Joannes a Cruce statum talem nonnisi supponit. Ipsa autem unio concipitur ab eo modo dynamico. Non agitur de solo statu habituali, in quo anima manet Deo coniuncta, sed de vita supernaturali, in qua status supernaturalis habitualiter intimus animae et potentiarum eius, redditur actu. Actualisatio autem unitiva vitae supernaturalis fit a parte potentiarum. Actualisatio talis nequit expectari in hac vita modo permanenti; nonnisi transunter. Potentiae ipsae induunt sibi convenientes habitus vel virtutes supernaturales, quibus mediantibus actus unionis supernaturalis animae humanae cum Deo possibles evadunt.

Sic ergo introducitur apud s. Joannem a Cruce quaestio de virtutibus theologicis, quae immediate supponuntur media unionis supernaturalis potentiarum animae humanae cum Deo, et quibus mediantibus tota unio supernaturalis animae transit ex statu suo habituali ad successivas actualisationes. Redditur ergo dynamica et evolvitur.

Sic tribus virtutibus theologicis tres adscribuntur functiones unitivae distinctae et respectu distinctarum facultatum spiritualium animae. In tali trichotomia ordinatur tota doctrina s. Joannis a Cruce de unione supernaturali animae humanae viatoris cum Deo. Una ex parte — trichotomia psychologica: tres potentiae superiores, proprie spirituales animae — intellectus, memoria et voluntas, quibus adiungitur alia ex parte trichotomia theologica, tres virtutes theologicae: fides, spes et caritas (amor).<sup>1)</sup>.

Solummodo pars illa spiritualis animae capax est unionis supernaturalis cum Deo.

Statum habitualis unionis obtinet in gratia gratum faciente et in virtutibus theologicis, quarum actibus postea red-

porque en cuanto al acto, después diremos, con el favor divino, cómo no pueda haber unión permanente en las potencias en esta vida, sino transeunte". Ibidem 5, 2.

<sup>1)</sup> „...las tres virtudes teologales, fe, esperanza y caridad, que tienen respecto a las dichas tres potencias como propios objetos sobrenaturales, y mediante las cuales el alma se une con Dios según sus potencias“. Ibid. 6, 1.

ditur vivens supernaturaliter unione divina. Quae unio successive perficitur et augetur modo omnino organico et vitali usque ad supremum gradum possibilem in hac vita, ad sic dictam „unionem transformantem“, ubi anima fit participative divina, immo secundum genuinum modum loquendi s. Auctoris fit, „Deus per participationem“ („Dios por participación“)<sup>1)</sup>.

Sanctus ergo Joannes a Cruce pauca habet de ipso statico et abstracto conceptu gratiae vel virtutum theologicarum. Unio divina animae aperit aspectum omnino dynamicum et vitalem, evolvitur enim in continua actualisatione virtutum supernaturalium. Actualisatione tali ipsae virtutes perficiuntur et magis ac magis apparent in sua specifica et nativa perfectione. Virtutibus theologicis supernaturaliter vivitur. In decursu autem vitae supernaturalis et vitali evolutione virtutum theologicarum manifestatur propria earum natura.

Talem aspectum problematis praebent nobis opera s. Joannis a Cruce. Et sub hoc generali aspectu quaerenda etiam videatur propria eius doctrina de fidei natura. Quando S. Doctor instituit systema suum secundum ordinem trichotomiae praelaudatae, tunc utique non excludit omnes alias virtutes, quae ad animam humanam naturaliter et supernaturaliter perficiendam cooperantur. S. Joannes tunc illas solummodo ponit, quarum propriissimum munus est unio facultatum animae cum Deo, quae sunt theologiae secundum intimam rationem sui. De aliis tacet. Posset quis forsitan eas detegere in processu unionis inclusas et absconditas in evolutione vitali fidei, spei vel caritatis. Quomodocumque tunc cooperarentur, unum manet certum: ipsa formalitas unitiva, ipsa ratio theologica vitae supernaturalis reducitur ad illas tres.

Fidei attribuitur munus unitivum respectu intellectus. Omnia praecedenter dicta pertinent etiam ad ipsam consideran-

---

<sup>1)</sup> „Y se hace tal unión cuando Dios hace al alma esta sobrenatural merced, que todas las cosas de Dios y el alma son unas en transformación participante; y el alma más parece Dios que alma, y aun es Dios por participación“... Ibid. 5, 7.

dam. Non enim tractatur omnino distincte et separatim, habet suam partem in totali unione animae cum Deo simul cum aliis. Simul cum aliis evolvitur et simul cum illis intervenit in quolibet gradu unionis. Secundum mentem s. Joannis a Cruce nihil possumus asserere de fide sola, de fide mortua. Fides vivit per charitatem et haec vita fidei proprie describitur et profunde explanatur in operibus eius. Quomodo tamen tunc distingui valet eius proprium et specificum, quando semper in descriptione commiscentur elementa supernaturalia unionis provenientia ex caritate et spe cum illis, quae a fide procedunt? S. Joannes a Cruce, quando asseruit statum habitualem unionis cum Deo pro ipsa substantia animae in gratia gratum faciente et pro potentissimis eius in virtutibus theologicis<sup>1)</sup>, tunc iam primo innuit rationem distinguendi. Ratio talis sumitur ex parte subjecti naturalis, potentiarum scilicet animae, in quibus virtutes theologicae subsistunt et opus suum faciunt. Tunc ergo omnia illa elementa unionis, quae concentrantur in linea intellectus, immediatam rationem sui in fide habent, et ex fide tamquam e radice propria immediate emanant. Admittere debemus utique influxum remotiorem et caritatis et spei et aliarum (de donis Spiritus Sancti suo loco dicetur), nihilominus tamen fides asseritur illa virtus, cui omnis formatio unitiva intellectus viatoris cum Deo proxime (immediate) et proprie adscribitur<sup>2)</sup>. Hoc sensu ipsa ponitur medium unionis pro intellectu et tamquam medium unionis in totali tetralogia docetur. Habemus proinde strictissime tractatum ibi de fide — medio unionis cum Deo.

<sup>1)</sup> Cf. V, 5, 2, textus iam prius citatus sub 2).

<sup>2)</sup> Cui favet etiam talis textus SII, 9 (Titulus): „la fe es el proximo y proporcionado medio al entendimiento para que el alma pueda (Uegar) a la divina unión de amor“ — ubi S. Doctor aperte distinguit munus unitivum fidei pertinens ad intellectum a totali opere unionis animae cum Deo, quod perficitur proprie in virtute caritatis supernaturalis, quae autem immediate in voluntate operatur. Voluntas ergo est preciosa basis psychologica unionis.

Proprium et immediatum munus medii exercet fides respectu intellectus, mediate tamen cooperatur ad unionem totalem animae cum Deo.

Videtur ergo tunc aspectum proprium, sub quo tota res de fide in operibus s. Joannis a Cruce venit, non esse nisi ipsum functionalem. „Medium unionis“ intellectus et animae cum Deo non videtur indicare nihil amplius. Utrum ergo possit considerari fides in operibus s. Joannis a Cruce sub aspectu naturae? Utrum possit institui quaestio: fides quid est? non tantum: quid operatur? vel quid efficit? Sub hoc ultimo potius aspectu videtur exarata notanda illa dissertatio p. Labourdette O. P.: „La foi théologale et la connaissance mystique d'après Saint Jean de la Croix“<sup>1)</sup>, ubi non tam fides qua talis, qua virtus unitiva tractatur, sed multo magis ipsum unitivum opus fidei. Conceptio talis correspondet immediate indoli operum s. Joannis a Cruce et omnibus, quae ibi explicite de fide traduntur. Nihilominus tamen et alia conceptio videtur possibilis — talis scilicet, quae non tantum ipsum opus unitivum fidei explanat, sed etiam quae-dam de natura ipsum ex opere illo erui tendat, indicando ex exercitio virtutis de ipsa eius essentia. Tale nunc determinatur obiectum prasentis dissertationis.

Concepio videtur possibilis. Quare? — Quia etiam fundata in textibus, utique remotius, et nonnisi exacta et longa analysi erueda, nihilominus tamen erudibilis. Omnia enim, quae in operibus s. Joannis a Cruce particulariter describuntur de fide, tradunt nobis exercitium huius virtutis ex experientia. Omnia tamen ista intelligenda sunt tamquam actualisationes fidei. S. Joannes a Cruce omnes praebuit praemissas ad concipiendum sic. Unio animae humanae cum Deo, praesertim autem potentiarum eius, transit a suo statu habituali et obscurō (C. SII, 5, 2)

---

<sup>1)</sup> Cf. — Labourdette, La foi théologale et la connaissance mystique d'après Saint de la Croix, art. in Revue Thomiste, 35 (1936); 36 (1937).

in actum. S. Joannes a Cruce explicite hoc praesupponit. Quando ergo describit ipsam evolutionem vitae supernaturalis per modum eius, quod immediate et experimentaliter vivitur, tunc phaenomena ista secundum hoc praesuppositum constituunt seriem actualisationum, in quibus habitus unitivi animae cum Deo actu reddunt unionem. Sic. v. g. quando describuntur particularia fidei exercitae et simul expertae, tunc invenimus actualisationes huius virtutis, in quibus ipsa intima natura eius actu manifestatur. Sic ergo habemus immediate seriem actualium manifestationum naturae fidei. In hac ergo serie invenitur iam aliqua ratio naturae eius tractandae.

Ratio tamen ista non est dahuc ultima. Habemus profundiū adhuc et ulterius fundamentum ad colligendas et comparandas synthetice praedictas actuales manifestationes, quibus vita fidei describitur. Hoc fundamentum constituitur conceptione ipsa metaphysica, qua virtus fidei-medium unionis sub intimo tangitur aspectu. En, attente legentibus et investigantibus opera s. Joannis a Cruce appareat in ipsis optime vis infrangibilis logicae, quae singularia phaenomena vitae supernaturalis ad invicem ligat. Quaeritur radix huius logicae connexionis, radix realis et vitalis simul. Et sic in ultima analysi radix ista invenitur in linea entis, in metaphysico statu quaestio-  
nis, qui etsi brevis, nihilominus tamen potenter influit in totum opus S. Auctoris, manifestando suum influxum in hac proprie logica praelaudata.

Ad hanc ergo conceptionem ontologicam sub qua virtus fidei primo introducatur, oportet nunc reducere quaelibet particularia experientiae. Fides — medium unionis animae viatoris cum Deo — determinatur primo et primo constituitur secundum principia entis, secundum quae quantalibet res ad Deum referuntur. Incipiendo ergo nunc doctrinam s. Joannis a Cruce de fide explanare ab hac prima ratione ontologica, quomodo eam in operibus S. Doctoris inveniamus, fundamenta ponimus ad intellegendam illam totalem unitatem, qua eius mens innotescit nobis.

**2. FIDES SUB CONCEPTU ABSTRACTO:  
FACULTAS THEOLOGICAE TRANSCENDENTIAE.**

Prout iam dictum est s. Joannes a Cruce tractat de fide tamquam de medio unionis animae cum Deo, designando huic virtuti proprium munus unitivum respectu intellectus hominis viatoris. Assertum istud: „fides est medium unionis animae cum Deo“ multoties et diversimode invenitur in operibus S. Auctoris. Praeter multos alios illi videntur praesertim invocandi textus, in quibus ista ratio medii unionis exactius asseritur de fide. Fides ponitur tunc medium proportionatum<sup>1)</sup>, et simul proximum<sup>2)</sup>, proprium et accommodatum<sup>3)</sup>, legitimum<sup>4)</sup>, et adaequatum<sup>5)</sup> unionis.

Omnia ista adiectiva, quae certum valorem speculativum habent, videntur quasi eandem rationem mediandi pro fide innuere, prout analysi faciliter constat. Ratio ista optime explicatur in SII, 8, 2<sup>6)</sup>), ubi clavis totius doctrinae s. Joannis a Cruce de fide, praesertim autem sub conceptu metaphysico et abstracto invenitur. S. Auctor introducit illam valde simpliciter. En, intellectus hominis viatoris statuitur coram Deo. Non est tamen capax ex se concipiendi nisi essentiam huius rei, quae ipsi mediantibus sensibus innotescit vel in seipsa vel in essentiali similitudine sui. Ad omnes res tales essentialiter cognoscendas intellectus invenitur intrinsece proportionatus. Haec est naturalis proportio eius esse et operari. Hic potest optime intervenire tamquam proportionatum medium. Respectu tamen divinae essentiae deficit eius naturalis proportio secundum esse et ope-

<sup>1)</sup> Cf. ibid. tit. 1.

<sup>2)</sup> Cf. ibid. tit. libri; 9, tit. cap., 1; 24, 8; 30, 5.

<sup>3)</sup> Cf. ibid. 8, 1.

<sup>4)</sup> Cf. ibid. 30, 5.

<sup>5)</sup> Cf. NO, I, 2, 5.

<sup>6)</sup> „...todos los medios han de ser proporcionados al fin, es a saber: que han de tener alguna convergencia y semejanza con el fin, tal que basta y sea suficiente para que por ellos se pueda conseguir el fin que se pretende“. Ibid. 8, 2.

rari. Non valet proinde sua propria virtute similitudinem divinae essentiae sibi acquirere. Intentus est enim ex se ad creaturas, in quibus nulla invenitur essentialis similitudo Dei. Creaturae enim omnes sive inferiores sive etiam superiores, carent ulla sumilitudine essentiae divine. Tenant utique secundum sententiam communem theologorum relationem ad Deum in ordine essendi, immo constituunt vestigium aliquod Dei minus vel magis perfectum secundum gradum perfectionis sui esse. Nullibi tamen similitudo essentiae divinae invenitur in ipsis. Manent dissimiles, distant infinite ab essentia Dei<sup>1)</sup>). Proinde etiam intellectus naturaliter intentus ad eas nequit naturaliter adipisci ex ipsis essentiam divinam in essentiali similitudine eius.

Sic introducitur apud s. Joannem aspectus metaphysicus problematis. Notandus venit statim iste ordo intentionalis: similitudo essentialis designat similitudinem essentiae intellectu adipiscendam. Intellectus tamen propter ambitum naturalis obiecti sui tenetur in partibus dissimilitudinis divinae essentiae. Creaturae etenim naturales, quae connaturaliter cadunt in ipsum, referuntur ad Deum secundum rationem et perfectionem essendi (sub hoc proinde aspectu capaces ducendi intellectus in Deum), sed intime et absolute deficiunt per respectum ad divinam essentiam qua talem. Tunc tamen itinerarium solius intellectus ad Deum arcet in vestigiis essendi, in relatione ontologica, quam creaturae adhuc possibilem reddunt. Huic autem incapacitati intellectus in ratione obiecti correspondet intrinseca dissimilitudo subiectiva eius respectu divinae essentiae. Non est capax concipiendi eam propter intrinsecam suam disproportionem. Est omnino incapax. Essentia divina asseritur absolute

---

<sup>1)</sup> Sic intelligo ex contextu SII, 8, 3, analysi subacto „divino ser“. Verbatenus esset: „esse Dei“. Tunc autem comparatur „esse Dei“ „cum „esse creaturarum“, et negatur quaelibet essentialis similitudo „semejanza esencial“ inter ea. Non utique secundum solam rationem essendi, vel melius sub aspectu entis, sub hoc enim aspectu creaturae asseruntur „vestigium Dei“, sed proprie sub ratione essentiae. En, quare negatur similitudo essentialis, non alia.

supernaturalis respectu cuiuslibet naturae creatae. Tunc tamen comparative invocanda sunt illa, quae s. Joannes a Cruce in SII, 5, 4, statuit: non agi hic de unione naturali cum Deo quae consistit in conservatione ipsius „esse naturalis“ animae a Deo, sed proprie de illa supernaturali, quae in communicacione ipsius „esse supernaturalis“ Dei per gratiam et amorem consistit. A tali communicatione unitiva necessario excluditur intellectus qua naturalis. Fides autem asseritur medium proportionatum unionis talis. Tunc autem in fide invenitur debita proportio erga istud „esse supernaturale“ Dei, quae vocatur „proportio similitudinis“ — „proporción de semejanza“. En, propter talem „proportionem similitudinis“ asseritur fides medium proportionatum unionis intellectus cum Deo, cum divina essentia qua tali. Proportio indicare videtur primo ordinem intentionalem (relatio enim intentionalis intellectus ad Deum quaerit sibi proportionem respectu divinae essentiae, prout patet ex toto contextu). In hoc ergo sensu fides reddit intellectui similitudinem essentialiem Dei, quomodo optime videtur in SII, 8, melius adhuc forsitan in SII, 9, quod fide mediante intellectus capax evadit relationis ad Deum sub intima ratione Deitatis. Facultas talis abest omnino intellectui soli, infunditur ipsis in fide. Fides tunc meretur designari tamquam facultas transcendentalis theologiae, in quantum intellectum facit transcendere ad Deum non solum sub ratione entis, sed sub ratione intimae essentiae divinae, omnino supernaturalis — sub ratione ipsius Deitatis.

Conclusio talis quoad metaphysicam et abstractam conceptionem naturae fidei non invenitur in operibus s. Joannis a Cruce explicite, faciliter nihilominus eruitur e littera eius, praesertim e SII, 8 comparata cum SII, 5. Fundatur autem in exacta analysi conceptus „similitudinis essentialis“ et in aperta distinctione, quam S. Doctor ponit inter unionem naturalem animae cum Deo et unionem supernaturalem (cf. SII, 5, 3—4). Unio naturalis dicit contactum cum Deo creante et conservante proprium esse animae, tunc in ordine naturaliter essendi.

Unio supernaturalis tota concipitur in ordine participandi Deitatem, ubi anima secundum genuinam S. Auctoris expressio-nem fit „Dios por participacion“. Reducendo nunc generale istud praesuppositum ad nostram rem de fide — invenimus in virtute illae eandem rationem participandi in Deitate pro intellectu. Secundum strictam logicam S. Doctoris possumus asse-rere: fides intellectum facit participare Deitatem, vel — facit participative divinum. Et in tali expressione explicatur tota ratio metaphysica illius „proporción de semejanza“, proportio similitudinis, quam s. Joannes a Cruce de fide docet.

Reasumendo nunc omnia ista, videtur talis concatenatio conceptuum, quibus conceptio metaphysica et abstracta fidei apud s. Joannem a Cruce constituitur: fides docetur medium proportionatum unionis intellectus cum Deo. Asseritur autem tale propter rationem similitudinis essentialis, qua erga Deum gaudet. Similitudo essentialis innuit ordinem intentionalem propter momentum subiecti fidei, quod est intellectus: in fide intenditur ipsa essentia divina, ipsa intima ratio Deitatis. En, quare conceptionem talem explicavimus tamquam facultatem transcendentiae proprie theologicae intellectus ad Deum. Tunc autem fides, quae docetur medium proportionatum unionis intellectus cum Ipso, in hoc similitudinem divinae essentiae intellectui intimam facit, in quantum intellectum reddit participem Deitatis.

In omnibus praedictis exulta videtur illa, quam diximus, metaphysica conceptio naturae fidei apud s. Joannem a Cruce. Dicitur metaphysica, in quantum primas docet rationes, quibus ipsum fidei ens determinatur. Ens fidei, quod praesupponitur eius operari. In tota consideratione praecedenti potius ipsum „operari“ fidei explanavimus. Hoc certissime propter munus mediandi proportionaliter intellectum inter et Deitatem. Munus illud adimplet in operando. Sed operari praesupponit esse — et s. Joannes a Cruce omnino clare per-tingit ad ipsam entitativam rationem naturae fidei, ad ipsum fidei ens. Ratio ista etiam includitur in eodem conceptu simi-

litudinis essentialis (semejanza essencial). Sicut intellectus nequit in sua naturali operatione adipisci ipsam Deitatem propter ipsam intrinsecam disproportionem (dissimilitudinem) suae creatae naturae respectu essentiae divinae, sic fides, quae infunditur intellectui tamquam facultas transcendentiae theologicae, faciens pertingere ipsum ad intimam rationem Deitatis in Deo, supponit primo in ipso suo esse hanc similitudinem essentialiem Dei. Quod praeterea expresse docetur in SII, 8, 3, ubi fides aperte contraponitur quibuslibet ordinis naturalis entibus creatis. Pertinet ergo ipsa ad ordinem supernaturalem, qui est ordo divinae essentiae qua talis. Constituitur autem fides intrinsece participatione huius essentiae, participatione Deitatis ipsius. Haec, quae intellectum efficit participem Deitatis, supponatur ipsa participatio eius. Talis videtur intima ratio eius naturae sub metaphysica conceptione et abstracta. Similitudo essentiae divinae in participatione eius, immo ipsa participatio Deitatis constituunt pro s. Joanne a Cruce ipsum intimum ens fidei. Ens omnino „theologicum“, in quo intellectus recipit germen suae supernaturalis transformationis, et vi cuius successive fit „divinus per participationem“.

### 3. MOMENTUM OBIECTIVUM PROBLEMATIS: FIDES CONSTITUITUR PARTICIPATIONE DEITATIS QUA OBIECTI.

Tota consideratio praecedens de natura metaphysica fidei omnino fuit abstracta in hoc sensu, quod naturam fidei omnino in abstracto docuit. In abstracto — id est quasi extra subiectum psychologicum et independenter ab eo. Ens „theologicum“ fidei constitutum tamquam pura participatio Deitatis videtur quid ideale et separatum. In concreto tamen istud ens „theologicum“ accidit semper in reali connexione cum subiecto psychologico, cum intellectu hominis viatoris, in quo subsistit proprie dicta virtus fidei. In virtute tali utique intima formalitas eius, intima eius essentia consistit in ista „theologica“ participatione Deitatis, connexa tamen propter ratio-

nem subiecti psychologici cum tantis elementis etiam psychologicis, in quibus degit et evolvitur modo vitali. S. Joannes a Cruce docet nos proprie itineraryum huius evolutionis. Intima essentia fidei, ipsum eius „theologicum“ ens, consistens in participatione Deitatis ab intellectu melius ac melius detegitur in successiva purificatione sui a multis elementis omnino psychologicis non tantum intellectualibus vel conceptualibus, sed immo etiam et sensitivis, quibus appetet quasi obvoluta. In hac succesiva purificatione perficitur ipsa fides, in quantum propriae eius actualisationes vel actualitates magis ac magis appropinquant ad puram speciem „theologicam“ huius intimae participationis in Deitate. Quaelibet tamen actualisatio vel actualitas fidei comprehendit et istam intimam „theologicam“ participationem Deitatis ab intellectu et multa elementa psychologica concomitantia. In hoc unum est certum: nulla datur actualisatio fidei, in qua ratio divinae participationis deesset. Immutatur tamen intrinseca proportio inter momentum theologicum et concomitantia psychologica. Theologicum dilatatur et elevatur, psychologica minuantur et pacificantur. Sic ergo ipsa intima participatio Deitatis in intellectu mutat species suae particularis actualisationis, species sui exeritii. Sic evolvitur fides suo proprio modo vitali ab intrinseco. Simul et intellectus magis ac magis, profundius ac profundius evadit unitus cum Deo sub intima ratione Deitatis. Fides enim, in quantum participatio Deitatis, non solum est unitiva intellectus cum Deo, sed immo ipsam substantiam unionis talis in se continet. Tunc evolutio vitalis fidei secundum mentem s. Joannis a Cruce designat proprie progressum unionis intellectus cum Deo.

Fuit projectio anticipata totius doctrinae s. Joannis a Cruce de virtute fidei. Apparet optime, quomodo ipse acutum sensum concretisationis ex experientia habeat. Principium abstractum problematis ponit cum theologica exactitudine, concretum scit ex experientia. Immò scit eadem ratione, quomodo ipsum principium theologicum in particulari specie

exercitii reflectatur et actu reddatur. Et sic tota eius doctrina de fide consistit in exacta connexione utriusque elementi: exactitudo theologici principii verificatur exactitudine experimentaliter traditi exercitii, quo virtus fidei proprias sibi actualisationes vel actualitates reddit. Experientia una ex parte confirmat et verificat principium abstractum, alia ex parte autem quaerit explicari ab ipso. Videtur hoc optime, quando ponitur quaestio de obiecto fidei.

S. Joannes a Cruce numquam separate et „ex professo“ ponit quaestionem talem. Nihilominus ipsa faciliter detegitur et eruitur scrutinio textuum. Iam in conceptu abstracto fidei, quem ultime sum formula „facultatis theologicae transcendentiae“ statuimus, obiectum immediate tangitur. Cum enim fides facit intellectum transcendere ad intimam rationem Deitatis in Deo, iam in hoc appareat proprium obiectum huius transcendentiae. Immo ipsa ratio transcendendi „theologice“ ad Deum explicatur propter partem obiecti. Obiectum ergo fidei proprium et „formale“ est ipsa essentia divina, ipsa ratio Deitatis in Deo.

Quo tamen asserto nullo modo terminatur tota quaestio. S. Joannes a Cruce habuit — prout supposuimus — acutum sensum pro re metaphysica et abstracta in concreto singulari et experimentalis videnda et verificanda. Sic videt et obiectum fidei. Fides facit utique intellectum transcendere ad ipsam rationem Deitatis in Deo, facit eum tunc participare obiective in essentia divina. Ipse tamen processus huius obiectivae participationis debet intelligi stricte per modum credendi, ergo propria parte subiecti psychologici ibi inclusa. Tunc tamen illa participatio Deitatis sub ratione obiecti, quam intelligat quilibet per modum similitudinis essentialis Dei in fide, secumfert elementum dissimilitudinis ex subiecto psychologico... Istud enim essentialiter non immutatur in fide, retinet omnino speciem sibi propriam, in hac specie actu reddit suam participationem supernaturalem.

Tota tamen ista quaestio particulariter exarata apud s. Joannem a Cruce indiget plenius explicari. In concreto enim humano obiectum divinum qua tale incipit participari, quando intellectui praesentatae fuerunt veritates revelatae a Deo, quibus abscondita mysteria Deitatis ipsi innotescunt. In illis veritatibus, quae sub specie conceptuali connaturaliter erga intellectum ipsi obviant, addiscit ea, quae in Deitate obiective subsistunt<sup>1</sup>). Tunc ergo contactus cum veritatibus illis designat pro intellectu obiectivam participationem in Deitate. Quomodo tamen in revelatis simpliciter credendis asserri valet illa participatio obiectiva Deitatis? Argumentum pro hac re invenitur apud s. Joannem a Cruce primo in exacta analysi ipsius processus cognitionis humanae et intellectionis<sup>2</sup>). S. Auctor delineat processum istum modo potius generali. Loquitur de abstractione, quae fit super materiam sensibus allatam et interius imaginatione retentam. Abstractio tendit in ipsam substantiam rei intelligendam „sustancia entendida“. Haec, „substantia intellecta“ nihil videtur aliud ac ipsa essentia rei obiectae intellectu concepta in intellectione. Quando ergo intellectus pervenit ad hanc omnino et exhaustive intelligendam, tunc asse-

<sup>1</sup>) „...es tanta la semajanza que hay entre ella (la fe) y Dios, que no hay otra diferencia sino ser visto Dios, o creido. Porque así como Dios es infinito, así ella nos le propone infinito; y así como es trino y uno, nos le propone ella trino y uno...“. SII, 9, 1.

<sup>2</sup>) ....las potencias del alma no pueden, de suyo hacer reflexión y operación, sino sobre alguna forma, figura e imagen, y éstaces la corteza y accidente de la sustancia y espíritu que hay debajo de la tal corteza y accidente. La cual sustancia y espíritu no se une con las potencias del alma en verdadera inteligencia y amor, si no es cuando ya cesa la operación de las potencias. Porque la pretensión y fin de la tal operación no es sino venir a recibir en el alma la sustancia entendida y amada de aquellas formas“. S. III, 13, 4. — Circa eandem rem nota praeterea textus: ...el entendimiento... tiene por oficio formar las inteligencias“ y desnudar las del hierro de las especies y fantasias“ S. II, 8, 5, satis clare de munere abstrahendi intellectus ad formandas species intellectuales obiecti. Nota etiam ibid. 14, 6, ubi munus potentiarum sensitivarum a spiritualibus in cognitione clare distinguitur.

ritur unitus cum illa. Tota ergo ratio unionis intellectui propria respectu obiecti cuiuslibet in hac consistit intellectione eius essentiae, in intellectuali assumptione eius substantiae, quae sequitur abstractionem. Tunc omnia elementa accidentalia cognitionis humanae, quae in particulari specie sensitiva obiecti consistunt, et in quibus sensus tam interni quam externi valde adhuc operati sunt, cessant, et intellectus quietatur intellectione obiecti sibi adepta.

Sic unio intellectus cum obiecto concipitur a s. Joanne de Cruce in „substantia intellecta“ rei (sustancia entendida). Supponitur tunc intellectus sicut naturaliter tendens ad essentiam obiecti intelligendam. Haec omnia in littera S. Doctoris clare apparent. In contactu ergo cum quolibet obiecto haec tendentia intellectus ad intelligandam essentiam eius (sustancia entendida) ponitur omnino propria et connaturalis. Iste dicatur secundum mentem genuinam S. Joannis a Cruce primus et naturalis intellectui motus unitivus. Scimus autem nunc in fide facultatem transcedendi ad ipsam, Deitatem sub ratione obiecti intellectui infusam. Tunc ergo motus unitivus ex parte intellectus venit sicuti respectu cuiuslibet obiecti. Motus iste prout vidimus supra, est secundum mentem genuinam s. Joannis a Cruce omnino primus et connaturalis intellectui. In fide autem motus iste redditur intime supernaturalis.

Quomodo istud fit? — quaeritur nunc sua vice. Prius tamen notandum est nobis: non loquimur amplius de puro momento obiecti in fide, instituitur statim quaestio de actu fidei. Quare autem sic? Respondendum: quia pura et separata quaestio de obiecto fidei possibilis videtur in aspectu metaphysico et abstracto (et hanc quidem superius iam exposuimus). Doctor autem Mysticus praestat nobis potius tractatum de concretis actualitatibus fidei, ubi momentum obiectivum non separate venit, sed in actu quarendum et ex ipso iudicandum est. In actu fidei invenitur proprie unio intellectus cum proprio obiecto. Actus fidei intelligatur unitivus quia obiectivus. Unitivus quidem cum ipsa Deitate in Deo, quia Deitas haec venit eius

objectionum. In hoc autem ipse motus unitivus intellectus — quaerens sibi ipsam essentiam obiecti intelligendam redditur supernaturalis, intellectus autem supernaturaliter unitus cum ipsa supernaturali essentia divina.

Quomodo tamen istud fit? S. Joannes a Cruce non loquitur de momento abstracto obiecti. Docet nos potius ipsum actum exercitum participationis unitivae in obiecto, ubi supernaturale obiectum fidei intellectui intimatum reflectitur in ipso modo essendi et operandi huius potentiae. Docet nos, quomodo intellectus suo obiecto supernaturali in fide vivat. En, aspectus dynamicus problematis. Quilibet actus — melius, quaelibet actualisatio fidei in se fert intimam relationem ad Deitatem tamquam ad obiectum proprium et quaelibet etiam intrinsece formatur vi huius essentialis relationis, quae proinde intime participatur in toto ordine exercitii.

Processus autem obiectivae participationis talis supernaturalis describitur in diversis locis operum s. Auctoris<sup>1)</sup>). Intellectui, prout iam diximus, praesentantur veritates revelatae a Deo, in quibus plura ei de essentia divina innotescunt sub forma conceptuali omnino adaptatae capacitati intellectus. Adveniunt ista omnia „ex auditu“, tunc via sensuum, via ordinaria, qua semper intellectui obviat propria materia intellectionis. Ipse autem statim operatione sensuum peracta, quaerit sibi ipsam essentiam rei intelligendam (sustancia entendida) — en, primus motus unitivus intellectus. In casu tamen veritatum Revelationis, quae „ex auditu“ intellectui obviant, haec ordinaria, via intelligendi ipsi preecluditur et motus unitivus eius manet psychologicē vacuus. Res enim, quae sic „ex auditu“ traditur, nequit reddi sub ulla specie sensitiva, nequit interius imaginari nequidem secundum similitudinem sui. Similitudinem enim talem essentia divina non habet in ordine creaturarum. Ipsa autem proprie traditur. Conceptus omnes Revelationis ipsam intellectui obiective exprimunt. Intellectus proinde statuitur

---

<sup>1)</sup> Cf. ad rem praesertim SII, 3, 1—4, ibid. 9, modo autem particulari Cant. 11.

in vero contactu cum essentia divina tamquam cum obiecto. Contactus talis fit pro intellectu unitivus per fidem, ratio metaphysica unionis intellectus cum ipsa Deitate tota adest. Simil tamen virtus fidei inhaeret subiecto psychologico et ex parte huius subiecti et ipsa assumit speciem aliquam psychologicam. Haec psychologica species fidei concipitur apud s. Auctorem secundum strictissimam consequentiam praesuppositi metaphysici: nulla natura creata ad ordinem naturalem pertinens similitudinem Deitatis reddere valet. Intellectus autem est facultas naturalis animae, in se est natura creata. Arcetur proinde intrinsece a similitudine Deitatis in ordine propriae naturae, in linea psychologica sui connaturaliter reddenda.

Sic ergo unio intellectus cum Deo, quam operatur fides, et quae secundum metaphysicas rationes plena statuitur, vacat tamen omnino psychologica specie et plenitudine sui. Species talis psychologica unitiva invenitur in contactu unitivo intellectus cum quolibet obiecto connaturali sibi, quando intellectus abstrahendo perfenit ad intelligendam ipsam essentiam rei obiectae (sustancia entendida). In fide talis species psychologice unitiva omnino abest. Articuli fidei, in quibus veritates de Deo intellectui praesentantur, nequeunt utique sensibus assimilari, quia in quantum divina tradunt, ulla specie vel similitudine sentitiva carent. Nequeunt etiam intellectu assimilari, secundum formallem rationem earum, quia Deitas qua talis intellectum omnino excedit<sup>1)</sup>. Excluditur proinde ulla species vel similitudo intellectualis, excluditur clara intentio (sustancia entendida) obiecti divini in ordine psychologico. Considera adhuc una vice: revelatorum propria „substantia“, intima eorum ratio formalis est Deitas, quam intellectui tradunt. Tradunt utique in specie conceptuali. Intellectus assumit conceptus revelatos credendo. Cum tamen quaerit ex conceptibus essentiam divinam intelli-

---

<sup>1)</sup> „La fe, dicen los teólogos, que es un hábito del alma cierto y oscuro. Y la razion de ser hábito oscuro es porque hace creer verdades reveladas por el mismo Dios, las cuales son sobre toda luz natural, y exceden a todo humano entendimiento, sin alguna proporción“. SII, 3, 1.

gere<sup>1</sup>), intelligentia talis evadit impossibilis. Sic fides statuitur una ex parte vera relatio unitiva intellectus inter et Deitatem, alia tamen ex parte in sensu psychologico deficiens a „sustancia entendida“, a Deitate intellecta, deficit a specie psychologica unionis.

Sic fides medium proportionatum unionis intellectus cum Deo propter rationem similitudinis essentialis ostenditur inhaerere subiecto psychologico. Propter vim excessivi luminis<sup>2</sup>), quod intellectui infunditur in fide, intellectus consentit revelatis,

<sup>1</sup>) S. Joannes a Cruce vocat articulos et propositiones fidei „semblantes plateados“. Rationem cuius sic explicat: „es de notar que la fe es comparada a la plata en las proposiciones que nos ensena, y las verdades y sustancia que en si contienen son comparadas al oro; porque esa misma sustancia que ahora creemos vestida y cubierta con plata de fe, habemos de ver y gozar en la otra vida al descubierto y desnudo el oro de la fe“. Cant. 11, 4. Quae omnia adhuc confirmantur in sequentibus: „...cuando se acabe la fe por la clara visión de Dios, quedará la sustancia de la fe desnuda del velo de esta plata de color como el oro. De manera que la fe nos da y comunica al mismo Dios, pero cubierto con plata de fe“. Difficile videtur adhuc clarius asserere omnia ista: formulae conceptuales, quibus veritates revelatae praesentantur, non sunt nisi superficies argentea, quae tamen purissimum aurum in se abscondit: aurum essentiae divinae, aurum Deitatis, eiusdem, quae postea intellectui clara apparebit in gloria. Eadem ergo ratio obiectiva in fide et in visione beatifica: ipse Deus (el mismo Dios) utique secundum intimam rationem Deitatis communicatur intellectui et animae in una et in altera. Quando tunc s. Auctor asserit: articuli et propositiones fidei in se continent ipsam essentiam divinam, tunc utique loquitur per respectum ad intellectum viatoris, cui praesentantur, supponendo hanc eius nativam tendentiam ad ipsam essentiam intelligendam (sustancia entendida).

<sup>2</sup>) „De aquí es que, para el alma, esta excesiva luz que se le da de fe le es oscura tiniebla, porque lo más priva y vence a lo menos, así como la luz del sol priva otras cualesquier luces, de manera que no parezcan luces cuando ella luce y vence nuestra potencia visiva... Así, la luz de la fe, por su grande exceso opprime y vence la del entendimiento; la cual solo se extiende de suyo a la ciencia natural, aunque tiene potencia para lo sobrenatural, para cuando Nuestro Señor la quisiere poner en acto sobrenatural“. (agitur utique de sic dicta potentia oboedientiali). SII, 3, 1.

etsi non videat psychologice rationem formalem eorum, ipsam scilicet essentiam Dei qua talem. Tunc ex parte intellectus tamquam facultatis psychologicae aperitur problema assensus ad revelata (consentimiento), quam sua vice tractabimus. Pro nunc sufficit repetere genuina verba S. Auctoris: intellectus statuitur in actu supernaturali, qui totaliter superat et excedit naturalem facultatem eius esse et operari. Tunc autem quasi — „vincitur et opprimitur“<sup>1)</sup> intrinsece vi superioris luminis, omnino supernaturalis, in quo ipsam Deitatem proportionaliter participat.

Agitur utique primo de participatione Deitatis tamquam obiecti. Quae tamen participatio obiectiva habet correspondentem sibi partem in subiectivo lumine supernaturali, quod intellectui infunditur, et cuius vi ipse statuitur in actu supernaturali. Sic operatur illa proportio similitudinis, quam fides tamquam proportionatum medium unionis intellectus cum Deo in se habet. In hac proportione intrinseca sibi excedit limites naturales et psychologicos intellectus. Fides emergitur super partes intellectus et naturalem ambitum eius operari in hoc proprie, quod intellectum ex se incapacem concipiendi connaturaliter essentiam divinam ex revelatis, facit eis tamen firmiter adhaerere. Quae adhaesio est firma, est simul „obscura“, quod significat: psychologice vacua specie similitudinis obiecti, sine „substancia entendida“ eius. Intelligere Deitatem non est intellectus creati. Fides facit intellectum utique theologice transcendere ad ipsam essentiam divinam qua talem, non facit eum tamen intelligere illam. Tunc illa transcendentia theologica, qua intellectus potitur in fide, quando actu redditur in particulari et psychologica specie sui exercitii, sicut eam experimentaliter novimus, non potest asseri sic unitiva, quomodo psychologice unitivus asseritur quilibet actus clarae intellectus obiecti connaturalis intellectui. „Infinita distanca“, quae separat intellectum creatum ab essentia divina qua tali, manet etiam in quilibet actualitate fidei pro parte psychologica exercitii huius

<sup>1)</sup> Cf. ibid.

virtutis. Sic fides apparet tamquam disproportionis in proportione, tamquam obscuritas concomitans intimam infusionem luminis. In quo tamen invenitur infrangibilis illa logica s. Auctoris. Deitas non potest videri intellectu in hac vita. Fides nihilominus facit participare eam intellectu. Participatio asseritur obiectiva et in hoc unitiva. Fides intellectum facit adhaerere non tantum revelatis in conceptuali earum specie, sed ipsi essentiae divinae. In quo autem intellectus nativae tendentiae omnino supernaturaliter satisfit: intellectus nequit attingere Deitatem nisi fide mediante. Intellectus fide induitus unitur Deo, — quod secundum mentem genuinam s. Joannis a Cruce sonat: intellectus firmiter adhaerens revelatis, non tantum conceptuali superficie eorum, sed immo ipsi essentiae divinae, quam revelata exprimunt, unitur. S. Joannes a Cruce in solis delineamentis propriae theoriae cognitionis intellectualis innuit realismum. Realismus iste simul cum intrinseca supernaturalitate fidei iam prius in abstracto asserta substat conceptioni eius de fide tamquam medio unionis intellectus cum Deo eamque sufficienter explicat.

Problema obiecti formalis fidei hic includitur. Cum fides docetur tamquam facultas theologicae transcendentiae, tunc quaelibet fidei actualitas consistit in participatione obiecti divini. Unio talis cum divino obiecto ultime resolvitur non in formula conceptuali fidei credenda, sed in ipsa essentia divina fide attingenda. Quaelibet actualitas fidei est utique simul psychologica, in intellectu subsistens, tunc in ambitu naturae dissimilis divinae essentiae. Psychologica similitudo Deitatis in intellectu absolute excluditur. Immo, quanto profundius haec relatio ad divinam essentiam tamquam obiectum fidei in intellectu reflectitur, tanto magis ostenditur praedicta disproportionis et dissimilitudo. A naturali ad supernaturale non datur ulla immediata ratio transcendendi, nisi haec oboedientialis. Tunc tamen ex parte intellectus qua naturae tota profundior participatio in Deitate tamquam in obiecto terminatur in obscuritate

psychologica subiecti. Quanto profundior, tanto obscurior<sup>1)</sup>. Obscuritas fidei secundum mentem s. Joannis a Cruce non est tantummodo pura concomitantia obiectivae participationis intellectus in Deitate. Est verum vestigium eius in subiecto. In psychologica obscuritate sui intellectus obiecto divino fidei vivit. Haec obscuritas non est tantum sola parentia visionis, clarae intellectio divinae essentiae tamquam obiecti. In hac obscuritate intellectus stans in fide simul asseritur intense recollectus in participando divinam essentiam secundum proportionalem vim fidei, in qua propriae eius unitivae tendentiae respectu obiecti supernaturaliter satisfit. Deitas tamen, cui intellectus

<sup>1)</sup> „...la fe es noche oscura, para el alma, y de esta manera la da luz; y cuanto más la oscurece, más luz la da de sí“. SII, 3, 4. Inveniri possint et multa valde similia huic. Totale opus s. Joannis a Cruce, praesertim autem „Subida“ et „Noche“ tradunt nobis „mysticam nocturnam“. „Nox“, „obscuritas“, „tenebrae“ veniunt ibi saepissime. Sunt autem expressiones symbolicae et poeticae, ubi multa nihilominus implicantur, quae indigenit omnino stricte et philosophice vel theologicice intelligi. Intellectio istius symboli „obscuritas“ inquiratur e contextibus, ubi rationes eius explicandi perfecte inveniuntur. Relata ad fidem „obscuritas“ ista implicat transitum a momento metaphysico (stricte: theologic) problematis ad psychologicum, in quo ultime resolvitur experientia fidei pro parte subiecti. Tunc autem sequitur s. Joannem a Cruce in hac symbolica notione „obscuritatis“ abscondisse etiam aliquo modo partem noeticam suae theologiae. Transcendere intellectus humani ad Deitatem ipsam sub ratione obiecti innuit utique comparationem naturalis cum supernaturali. En, „obscuritas“ exprimit rationem istius transcendentiae non tamut sub aspectu ontologico, immo etiam in ordine cognoscendi secundum strictissimam logicam comparationis. Nequit utique Deitas connaturaliter cognosci ab aliquo psychologico. Quando ergo cognoscitur participative secundum rationem obiecti omnino formalem (sic autem cognoscitur in fide prout vidimus), tunc tota dynamica talis cognitionis participatae, tota eius intensitas exprimitur psychologicamente in vacuo subiecti. Cui tamen vacuo tanto intensior participatio in Deitate substet, quanto „obscuritas“ maior. Hoc modo intelligi etiam valent ista verba, quibus s. Joannes a Cruce in SII, 9 (1) similitudinem fidei erga Deum explicat: „...es tanta la semejanza que hay entre ella (= la fe) y Dios... ...asi como Dios es tiniebla para nuestro entendimiento, así ella también ciega y deslumbra nuestro entendimiento“.

tendit uniri, in intellectu non lucet, potius quasi absconditur intentionaliter in eius obscuritate in vacuo psychologico intellectus. Obscuritas vel melius vacuum psychologicum subiecti experimentaliter stat pro argumento de stricta supernaturali ratione obiecti in fide: fides est obscura, quaelibet eius psychologica actualitas est obscura, quia obiectum eius proprium et formule est Deitas<sup>1</sup>). Quanto plus in fidei actualitatibus manet de elementis psychologice satiantibus intellectum (vel — adhuc peius — sensus intellectui in cognoscendo inservientes), tanto minus intense et minus formaliter ibi participatur divina essentia tamquam obiectum. Ipsa enim, quando participatur, obscurat suum subiectum psychologicum. Participatur in fide — tunc fides asseritur „habito oscuro del alma“.

#### 4. MOMENTUM SUBIECTIVUM PROBLEMATIS: „CONSENTIMIENTO“ ET NOX ACTIVA SPIRITUS.

Scrutinio praecedenter peracto intelligimus, quare s. Joannes a Cruce hanc de fide conceptionem habuerit: medium unionis intellectus cum Deo. Non loquitur de cognitione Dei fide mediante, solummodo de unione. Ad cognitionem enim aliquae concurrunt conditiones ordinis psychologici, quae in fide omnino deficiunt. Adest nihilominus ipsa relatio unitiva, ad Deitatem sub ratione obiecti. Unio utique in linea psychologica cognitionis intellectualis attingitur plena intellectione essentiae obiecti. In fide datur vera unio sine intellectione psychologice clare. Haec unio intelligatur intentionalis: Deitas intenditur intellectu in „obscuritate“ subiecti. In potentia naturali „obscuritas“ subiecti exprimit intellectui obiectum divinum secundum intimam rationem Deitatis.

Prout supra iam dictum est, obiectum fidei non tractatur apud s. Joannem a Cruce in abstracto et separatim. Inveniri debet in ipsa dynamica huius virtutis, in qualibet actualisatione

---

<sup>1</sup> Cf. ibid.

eius essentiae. Tunc ergo actualisatio talis (vel etiam actualitas) fidei est directe unitiva cum Deo propter ipsam rationem obiectivam sui. Praeterea tamen manet virtus fidei in sensu subiectivo, ubi intelligatur tamquam supernaturalis perfectio intellectus, qua ipse ponitur in statu unionis cum Deo et sic modo supernaturali transformatur. Transformatur utique successive secundum gradum participandi in Deitate tamquam in obiecto. Statim autem participatio talis obiectiva evocat rationem participandi subiective. Aliis verbis: nequit intellectu participari Deitas sub ratione obiecti, nisi etiam interveniat aliquo modo participatio ipsius intelligendi vel sapiendi divini. Tunc: utrum et quomodo fides possit subiective determinari tamquam participatio ipsius intelligendi et sapiendi divinitus?

Et de novo non agitur de ipsa determinatione abstracta per modum concludendi ex ratione obiecti. Agitur de concreta et experimentali, prout totale opus s. Auctoris fert nobis. Et hic etiam mens s. Joannis a Cruce ex hac etiam parte appareat omnino completa. In contemplatione mystica, ubi intellectus in fide experitur ipsam Deitatem, experientia talis videtur impossibilis, nisi interveniret etiam participative in intellectu experientia intelligendi divinitus.

Tunc tamen oportet ostendere, utrum et inquantum contemplatio mystica possit intelligi tamquam actualisatio fidei et quomodo sese habeat ad alias actualisationes minus sublimes, magis communes.

Primo enim s. Joannes a Cruce loquitur de fide inquantum est assensus ad revelata (consentimiento)<sup>1)</sup>. Fides-habet s. Joannes a Cruce — non est scientia, sed assensus ad revelata, quae ex auditu adveniunt intellectui. Quando dicit: „non est scientia“ — tunc diligenter scrutato contextu oportet statuere non agi hic de scientia in sensu scholastico tamquam de cognitione rei per rationes causales modo discursivo. Verba: „la fe no es ciencia“ innuunt solummodo absentiam in fide intellectionis clarae

---

<sup>1)</sup> „...la fe no es ciencia que entra por mingún sentido, sino sólo es consentimiento del alma de lo que entra por el oido“. SII, 3, 3.

secundum sensum psychologicum. S. Joannes hoc modo videtur excludere omnes istos discursus, quibus adipiscitur quis conclusionem scientificum de obiecto suae investigationis. „La fe no es ciencia“ — istud dicit solummodo abesse in fide „sustancia entendida“. S. Doctor non innuit hoc loco illam tendentiam evidentialiem, qua quaeritur conclusio scientifica in humanis, potius simplicem illam tendentiam visivam intellectus, qua quaeritur ipsa species intentionalis obiecti. Sic apparet ex contextu diligenter scrutato; et sensus talis videtur praeterea omnino iustificatus ipsis conditionibus operis et fine, propter quem conscriptum est. Scripsit illud s. Doctor utique pro mysticis et contemplativis praecipue, non autem pro scrutinio scientifico. (Nihilominus tamen scrutinium tale excitabant opera eius et excitant).

Clarum tunc fit: tota illa longa et valde exacta consideratio de psychologica structura actus fidei, de momento proprio motivorum credibilitatis et credendi, de parte intellectus et impulsu voluntatis, quae omnia ad tractatum scientificum de fide praesertim in apologetica pertinent, in operibus s. Doctoris Mystici omnino absunt. Omnia illa communiter inserviunt ad explicandum in fide ipsum assensum intellectus ad revelata, quorum ultima ratio nullo discursu penetrari, potest. Apud s. Joannem a Cruce non quaeritur explicari assensus fidei („consentimiento“). Assensus ille simpliciter supponitur. S. Joannes a Cruce altiorem habuit experientiam fidei. Unde aspectus proprius tractatus secundum mentem eius non consistit in assensu ad revelata explicando, sed in ratione participandi divina experimentaliter tradenda. Tunc tamen etiam psychologica pars doctrinae eius de fidei natura inquiratur sub hoc aspectu: quomodo et qua specie facultates psychologicae animae humanae adaptari possunt et debent ad melius et profundius participanda divina in fide?

Dictum est superius: Assensus (consentimiento) fidei secundum mentem s. Joannis a Cruce non tam substituitur in intellectu tendentiae evidentiali ad discursive sciendum de Deo

per modum conclusionis intellectualis. Substituitur potius ipsi tendentiae visivae, qua Deus quaeritur simpliciter videri intellectu. In visione enim essentiae cuiuslibet rei quietatur intellectus et primo unitur cum ipsa (Cf. SIII, 13, 4: „sustancia entendida“). Talis visio essentiae divinae intellectui in hac vita absolute paecluditur, prout iam superius plene expositum fuit. Tunc autem „consentimiento“ — assensus ad revelata non tantum simplex factum psychologicum fidei ponit, sed — sequendo mentem genuinam S. Doctoris — unionem intellectus cum ipsa Deitate sub ratione obiecti intimata huic potentiae in fide explicat. Iam in assensu ad revelata intellectus non solum assumit ea sibi credenda, sed etiam in firma adhaesione ad ipsa unitur essentiae divinae qua tali et experitur iam aliquo modo infinitum excessum Deitatis erga seipsum. Proinde „consentimiento“ fidei in ultima analysi sui nequit explicari nisi intimo interventu luminis supernaturalis<sup>1)</sup>, quo intellectus intrinsece proportionetur erga Deitatem tamquam obiectum fidei proprium. „Consentimiento“, quod apud s. Auctorem unica vice nominatur (cf. SII, 3, 3), non dicit aliquod minimum in vitali evolutione virtutis fidei. Qualibet actualisatio fidei est „consentimiento“ — assensus ad revelata, etsi nihilominus ipsa psychologica et experimentalis species huiusc assensus valde immutatur. Magis ac magis enim evacuatur ipsa superficialis applicatio intellectus ad formulas conceptuales revelatorum, aperitur autem magis ac magis pura relatio unitiva ad Deitatem in fide intellectui per modum obiecti intimatam. Processus istius successivae purificationis, quam intellectus in fide experitur, abundanter descriptus manet nobis praesertim in „Subida“ et „Noche oscura“. Quando omnia, quae ibi tradita sunt, diligenter com-

---

<sup>1)</sup> Cf. S. II, 3, 1. Textus iam antea cit. Cf. etiam: „...por este solo medio, se manifiesta Dios al alma en divina luz, que excede todo entendimiento. Y, por tanto, cuanta más fe el alma tiene, más unida está con Dios“. S II, 9, 1, vel etiam: „...la fe... contiene en sí la divina luz; la cual acabada y quebrada por la quiebra y fin de esta vida mortal, luego parecerá la gloria y luz de la Divinidad que en sí contenía“. Ibid. 9, 3.

ponuntur et comparantur addiscimus multa de fidei natura, manifestatur ipsa vivida concretisatio huius, quae in abstracto sub voce virtutis fidei novimus.

Processus purificationis intellectivae potentiae, in quo fidei vitalis dynamica continuo ostenditur, comprehendit duas partes, quae non utique in sensu successionis chronologicae, sed natura sibi succedunt. S. Auctor vocat ipsas „noctes“: nox activa et nox passiva. Una et alia — sensuum et spiritus. Secundum illas quatuor noctes ordinatur tota materia tractatum „Subida“ — „Noche“. Quod ad fidem spectat, tunc nomen „nox“ statim evocat supradictam notionem symbolicam „obscuritas“. Ex hac parte unio supernaturalis animae cum Deo ntititur in fide et reducitur ad ipsam. Fides enim est „nox“ et tamquam radix unionis animae cum Deo totam unionem efficit „noctem“<sup>1)</sup>). Quare? — quia communicando animae et intellectui Deitatem, arcet tamen ab hac communicatione unitiva reddenda in sensu psychologico per speciem.

Explicandum. Quando S. Auctor loquitur: „la fe no es ciencia... sino solo es consentimiento“, tunc innuit illam tendentiam simpliciter visivam intellectus, qui quaerit sibi „substantiam intellectam“ obiecti. In Revelatione praesentantur huic potentiae formulae conceptuales credendae, ipsa autem vi luminis supernaturalis essentit eis. Unitur in tali assensu ipsi essentiae divinae. Sed ipsa actualitas unitiva appareat quasi obvoluta speciebus psychologicis, quae puram relationem unitivam intellectus ad divinam essentiam obtenebrant et in tenebris istis intime abscondunt. En, s. Joannes a Cruce docet, quomodo vi fidei, in vitali evolutione huius virtutis, exteriores „tenebrae“ actus fidei possint successive purificari et intellectus statui in pura relatione unitiva cum Deo, in qua propria formalitas fidei optime appetit. Haec pura relatio unitiva intellectus ad Deitatem nullo modo dicat visionem, dicit tamen nihilominus ipsam perfectionem fidei, quae numquam est visio (fides nuda).

---

<sup>1)</sup> „...Dios es para el alma tan oscura noche como la fe“. Ibid. 2, 1.

„Tenebrae“ praedictae proveniunt ex modo assumptionis revelatorum. Modus iste primo est psychologicus, connaturalis potentiae. S. Auctor docet purificationem in decursu orationis interioris, ubi a meditatione discursiva progreditur orans gradatim ad contemplationem. Meditatio discursiva praesentatur apud s. Joannem a Cruce tamquam series actualisationum fidei et amoris erga Deum. Quaelibet actualisatio talis fidei, „no es ciencia... sino sólo consentimiento“. Tunc S. Auctor docet nos, quomodo concreta et particularis species talis „consentimiento“ actu reddatur in meditatione discursiva.

In hoc problema fidei actu reddenda valde restringitur. Fidem actu reddere orando non est nisi una species possibilis actualisationum huius virtutis. S. Joannes a Cruce talem speciem et talem aspectum elegit. In tali specie eligenda apparet forsitan melius ratio huius tendentiae potius visivae, quam evidentialis in sensu scientifico, quam apud s. Joannem a Cruce invenimus. Apparet praeterea ordinatio huius tendentiae ad Deum contemplandum. Contemplatio quaerit Deum, tunc etiam fides aperitur exclusive soli divino obiecto qua tali (posset quidem ordinari etiam ad obiectum materiale sui, ad res etiam creatas sub specie Dei).

Sic ergo illa, quae apud s. Joannem a Cruce invenitur, est praecipue fides transcendentiae — verum medium unionis intellectus cum Deo etiam secundum actum exercitum. Sic explicatur melius eius psychologica obscuritas, inquantum exercitium eius ordinatur praecipue et quasi exclusive ad contemplandam Deitatem. S. Joannes a Cruce quasi limitativi materiam sui tractatus de fide ad hanc unicam rationem obiecti formalis. Sola Deitas intenditur ibi in fide, ipsa quaeritur et ipsa, quae intellectui per fidem intime unitur in assensu eius ad revelata, huic etiam in eodem assensu intime absconditur, prout experientia meditationis discursivae abundanter probat. In meditatione enim discursiva essentialis fidei assensus ad revelata assumit sibi speciem psychologicam valde adhuc obvolutam (obtenebratam) sensitivis. Meditando utitur orans imaginatione

et phantasia, tunc actus credendi quasi immerguntur in formis connaturalibus etiam sensui, et in sensibus faciliter associabilibus homini. Intellectus utique non imaginatur Deitatem, totus labor imaginativus manet in sensibus praesertim interioribus. Intellectus solummodo utitur hoc labore ad vividius assumenda sibi revelata, in ipsis autem Deitatem. Sic tamen credendo in meditatione discursiva valde „sensitive et imaginative“, ponendo suum assensum ad revelata, in ipsis autem confirmando relationem unitivam intellectus ad Deitatem, praeparatur optime ad processum fidei purificandae. Terminatur enim post aliquot temporis facilitas meditationis discursivae ope sensuum, interiorum praesertim<sup>1)</sup>. Incipit „nox“. Est prima nox sensuum. Recedit abundantia imaginum circa revelata, disparat facilitas orandi et meditandi „sensitive et imaginative“.

Faciliter detegitur fides in hoc processu noctis<sup>2)</sup>. En, ipsa, quae constituitur contactu intellectus unitivo cum Deitate, contactu purissime spirituali et supernaturali nequit remanere in tali sensitiva specie sui exercitii. Vi supernaturalis obiecti sui, vi excessivi luminis, quo intime formatur, erumpitur nunc e quibuslibet limitibus sensitivis sui exercitii, superior ipsis. Hoc fit in sic dicta „nocte passiva sensuum“ et constituit partem notabilem huius noctis in cuius fieri concurrunt omnes virtutes theologicae, fides autem proprie et formaliter in intellectu, purificando ipsum a revelatis nimis sensitive et imaginative assumentis<sup>3)</sup>.

Semper sumus in progressu orationis interioris, in quo unio animae cum Deo continuo quaeritur. Quoad partem fidei — praedicta evacuatio modalitatis nimis sensitivae et imaginativae in adhaerendo revelatis — secumfert priorem rationem participandi intellectus in Deitate tamquam in obiecto. Unio intellectus cum Deo in fide hoc modo non fit adhuc experimentalis divinorum, fit tamen utique magis spiritualis in exercitio. Con-

<sup>1)</sup> Cf. praesertim in S II, 12, ubi de molo orationis discursivae ope imaginationis et phantasiae multa sunt tradita.

<sup>2)</sup> Cf. praesertim ibid. 13, 14, 15 et tractatum „Noche“ I.

ceptus Revelationis, qui immediate creduntur, assumuntur in intellectu magis proprie, absque hoc pondere psychologico et sensitivo quo antea. Certissime etiam fides talis, partim purificata, clarior est et profundior in linea propria sui exercitii, etsi utique quoad partem sensitivam huiusc facta est obscurior. „Obscuritas“ et „nox“ dicunt pro s. Joanne a Cruce abscissionem alicuius, cui potentia connaturaliter inclinatur<sup>1)</sup>). Sic intellectus inclinatur intellectioni per speciem psychologice claram et distinctam. En. quomodo in hoc casu verificantur ista: fides, quanto est profundior in anima, tanto obscuriorem provocat ibi noctem.

Processus tamen fidei evolvendae trahitur adhuc ulterius, quod sua vice optime probat vim fidei intrinsecam ad ulterius extendendum exercitium suum praeter in meditatione discursiva, et minus sensitivum magis autem spirituale (intellectuale) reddendum. Supponamus nunc nocte sensuum peracta fidem in meditatione discursiva vel etiam in primordiis contemplationis actu reddi sub specie conceptuali pura ab imaginibus sensitivis. Et utique progressus magnus in oratione interna et in tota modalitate cognoscendi Deum. Sed nec hic etiam terminus fidei vitaliter ovolvendae secundum intimam vim sua naturae. Etiam hic conceptus revelati, qui immediate creduntur, assumuntur modo psychologico, utique psychologice perfectius, spiritualius quam antea. Sed etiam in tali perfectione non attingitur pura relatio initiva intellectus ad Deitatem, quae asseritur a s. Joanne a Cruce in fide. Revelata immediate creduntur intellectu per

<sup>1)</sup> „Llamamos aquí noche a la privación del gusto en el apetito de todas las cosas; porque así como la noche no es otra cosa sino privación de la luz, y, por el consiguiente de todos los objetos que se pueden ver mediante la luz, por lo cual se queda la potencia visiva a oscuras y sin nada; así también se puede decir la mortificación del apetito noche para el alma, porque privándose el alma del gusto del apetito en todas las cosas, es quedarse como a oscuras y sin nada“. S. II, 3, 1. In casu fidei privatio ista et abnegatio intelligatur tamquam absentia vel etiam reiectio in intellectu cuiuslibet clarae intellectionis circa divina (sic in nocte activa spiritus).

fidem assumpta, ipse tamen unitur non revelatis in fide, sed revelatis mediantibus unitur intentionaliter divinae essentiae. Haec autem nequit absolute limitari aliqua similitudine intellectuali, aliquo conceptu<sup>1)</sup>). Remanet ergo ratio ulterioris „notis“. Haec vocatur nox spiritus.

Nox activa spiritus, quae describitur in SII, 10 usque ad SII, 32 in suis particularibus phaenomenibus, nonnulla nobis indicia praebet de fidei indole secundum mentem genuinam S. Doctoris Mystici. In praedictis enim capitibus analysi subdantur plura sic dicta „phaenomena mystica“, ut locutiones, visiones, revelationes privatae et similia, quae omnia apud s. Joannem a Cruce tamquam „aprensiones“ vel, „noticias“<sup>2)</sup> intellectuales veniunt distinctae, clarae et particulares, et quibus opponitur „inteligencia confusa, oscura y general“; sic vocatur contemplatio, quae animae infunditur in fide. Pro momento non est adhuc valida ipsa „contemplación que se da en fe“ — hoc tractabitur postea. Valida videtur ipsa oppositio „aprensionum“. S. Joannes a Cruce asserit et sucessive probat maxima sua experientia quaslibet „noticias“ vel „intelligentias“ (melius: intellectiones) claras, distinctas et particulares non esse actu unitivas cum Deo sub intima ratione Deitatis. Quare? — Intervenit hic principium illud metaphysici ordinis: Deitas qua talis nequit connaturaliter assimilari intellectu, caret „sustancia entendia“, vera unio intellectus viatoris cum ipsa manet semper psychologice vacua speciei clarae. En, tota ratio, propter quam omnes praedictae „aprensiones“ clarae et distinctae, i. e. expressae intellectui in clara et distincta specie psychologica sui, non censemur unitivae intellectus cum Deitate. Deitas non intenditur intellectu nisi in obscuritate eius, in psychologico vacuo

<sup>1)</sup> „...en este camino, el entrar en camino es dejar su camino; o, por mejor decir, es pasar al término y dejar su modo, es entrar en lo que no tiene modo, que es Dios“... „...pasar de su limitado natural interior y exteriormente... en limite sobrenatural que no tiene modo alguno, teniendo en sustancia todos los modos“ S. II, 4, 5.

<sup>2)</sup> Cf. ibid., 10, ubi omnia ista proprie distinguuntur.

formae vel speciei. Sic est in fide, sic manet in contemplatione. En, in nocte activa spiritus omnes tales „aprenses“ clarae et particulariter distinctae postulantur reiciendae propter bonum unionis divinae.

Quod est magni momenti pro quaestione nostra. Ostenditur enim identitas et intrinseca unitas lineae. „La fe no es ciencia ... sino es consentimiento“. Non reducitur obiectum divinum fidei ad speciem aliquam intellectionis claram psychologice et distinctam, connaturalem intellectui. Intellectus unitur Deitati fide mediante in nocte. Identitas et unitas lineae in doctrina de fide in hoc proprie apparet, quod nox activa spiritus regitur logica strictissime eadem ac „consentimiento“. Assensus intellectus ad revelata, quae carent pro eo omnino „substancia entendida“, quorum intima ratio formalis nequit intelligi (nequit intelligi connaturaliter ipsa Deitas) — iste assensus actu redditur in quolibet exercitio particulari noctis activae spiritus. Quando iubentur reici singulae species („aprenses“) clarae et distinctae circa revelata, etiam illae, quae intellectui supernaturaliter quoad modum advenerunt, tunc utique in omnibus ipsis actu redditur „consentimiento“ secundum intimam et formalem rationem sui. Haec ratio est: Deitas non potest assimilari intellectu, non potest videri („la fe no es ciencia“). „Consentimiento“ proprie substituitur huic tendentiae visivae intellectus. — Quando ergo non potest videri, tunc etiam non potest supponi visa vel intellecta in aliqua specie („aprensión“) psychologice clara. intentionaliter distincta et particulari. Ergo species talis, etsi circa revelata fiat et circa divina, non est tamen formaliter reddens divina intellectui. Formalitas assimilativa intellectum Deitati non est nisi illa „obscuritas“ et, quae in ipsa fundatur „intelligentia“ confusa, obscura et generalis. Haec vocatur proprie contemplatio fidei.

Tota ista doctrina componitur ex experientia. S. Joannes a Cruce novit optime „aprenses“ claras, distinctas et particulares, illas formas intentionales intellectus, quae in via unionis cum Deo intellectui connaturaliter vel propria industria, vel

etiam aliquo agente superiori, immo et vero supernaturali adveniunt. Scit etiam optime illas distinguere ab „intelligentia“ obscura contemplationis. Et sic experientia verificatur primum principium metaphysicum, cuius vi tota stat infrangibilis logica doctrinae: non datur similitudo essentialis Dei in qualibet natura creata pure naturali; etiam fides, quae gaudet tali similitudine essentiali in intima sua indole, quando tamen habitualiter subsistit et actu redditur in subiecto psychologico „naturali“, tunc actualisationes eius, in quantum psychologicae, secumferunt pondus sui subiecti — et proinde sunt etiam „obscurae“, vacuae speciei connaturali divini obiecti. Quando tunc aliqua species apparet connaturaliter sensibus vel intellectui, abneganda mandatur, vel ad minus non quaerenda. Talis est generaliter tenor noctis activae spiritus, in qua praeparatur anima ad uberioris recipiendam participationem divinae intelligentiae — in qua perficitur fides activae secundum intimam rationem suae naturae.

Haec activa actualisatio fidei, quae valde particulariter describitur in SII, 10—SII, 32 — in quantum activa, videtur etiam potius psychologica quoad modalitatem exercitii. Quando reiciuntur „aprenses“ clarae vi fidei, haec vis intelligatur tamquam operatio virtutis secundum psychologica componentia suae naturae. Si agatur de relatione ad obiectum proprium fidei, tunc nox activa spiritus innuit potius aspectum negativum: non attingitur in actu exercebit illud, quod est proprie obiectum fidei, sed reiciuntur illa, quae non sunt proprie tale. Ultima tamen ratio reiciendi ea non consistit, nisi in positiva relatione unitiva intellectus ad essentiam divinam, cui relationi omnes particulares intellectiones distinctae, intime contrariantur. Per modum contrarii ergo in reiciendis illis confirmatur adhaesio ad ipsam, quae est fidei obiectum proprium. Fides non adhaeret quibuslibet intellectionibus distinctis, quia uni adhaeret unita intime divinae essentiae tamquam obiecto; haec autem nequit distincte intellectu concipi.

In hoc ergo sensu apparet nox activa spiritus tamquam propria nox fidei, magis utique quam nox activa sensuum, ubi exercebatur abnegatio inferioris partis animae. In hac enim

prima nocte, etsi ratio ulterior abnegandi in sensibilibus fuit bonum divinum animae in unione praeparanda, non tamen ratio immediata. In nocte econtra activa spiritus ratio proxima abnegandi quaslibet species spiritualis satisfactionis connaturalis pro anima et intellectu est bonum divinae unionis. In quantum autem abnegantur intellectiones clarae et distinctae, intellectui connaturales, instantum confirmatur ipse in adhaesione divini sui obiecti, quod intimum sibi per fidem habet. Ratio ergo immediata huius abnegationis est bonum huiusc obiecti participandi — bonum ergo fidei proprium. En, prima ratio, quare nox activa spiritus attribuatur fidei.

Abnegatio cuiuslibet speciei connaturaliter clarae (aprensión) in intellectu detegit nobis praesentiam intentionalem obiecti supernaturalis in hac potentia. Sic nox activa spiritus detegit etiam nobis fidem quoad formalem rationem eius obiecti. Fides est unitiva intellectus cum Deo primo propter rationem Deitatis per modum obiecti sibi intimatae. In nocte tamen activa spiritus, in quantum activa est, licet nobis quaerere fidem non tantum, in quantum intellectum reddens participem Deitatis sub ratione obiecti, constituitur et ipsa formaliter illa participatione obiectiva, sed etiam, in quantum est virtus, et innuit certum modum operandi intellectus supernaturaliter, certam motionem supernaturalem. Certissime enim ratio fidei tamquam virtutis non exhaustur in sola participatione statica obiecti divini qua talis, sed in hac participatione proprie efficitur dynamica, reddens intellectum operari propter rationem Deitatis participandae, quae sibi per modum obiecti intimatur. En, nox activa spiritus affert nobis abundanter argumentum<sup>1)</sup> participationis divini

---

<sup>1)</sup> „Y fué, que así como la fe se arraigó e infundió más en el alma mediante aquel vacío y tiniebla y desnudez de todas las cosas, o pobreza espiritual, que todo lo podemos llamar una misma cosa. también juntamente se arraiga e infunde más en el alma la caridad de Dios. De donde cuanto más el alma se quiere oscurecer y aniquilar acerca de todas las cosas exteriores e interiores que puede recibir tanto más se influnde de fe, y, por consiguiente, de amor y de esperanza en ella, por cuanto estas tres virtudes teologales andan en uno“. S. II, 24, 8.

objecti, quod non intenditur, nisi in fide et nisi in „obscuritate“, quod est in vacuo psychologico intellectionis, sine specie.

Quomodo perficitur ista abnegatio intellectualis, quae in virtute fidei asseritur? Certissime ratio formaliter objectiva fidei intellectui eam inculcat: intellectus aptus est reicere intellectiones distinctas et claras circa divina, inquantum intime manet in vitali contactu cum objecto divino, quod secundum propriam rationem Deitatis sibi unitur. Quomodo tamen ipse processus psychologicus abnegationis talis decurrit? Hic tangitur aliqualiter structura psychologica fidei. Intellectus ponens in abnegatione tali actum adhaesionis ad divinum objectum, ponit hunc secundum mentem S. Doctoris voluntate impellente et moveante. Numquam enim potest vel intellectus vel alia aliqua facultas animae admittere aliquid vel abnegare, quin voluntas interveniat<sup>1)</sup>. Sic etiam in praedicta abnegatione intellectuali. Intellectus enim solus potius tendit simpliciter ad intellections claras et connaturales sibi, potius quaerit sibi tales, non reicit. Ut ergo reiciat, necesse est, ut interveniat voluntas et cum illa appetitus boni supernaturalis participationis. Haec omnia non docentur explicite, innuuntur solummodo textibus scrutatis. Nec etiam exinde possumus tractatum formalem statuere de structura psychologica fidei apud s. Joannem a Cruce. Unum videtur certum, quod statim potest asserri: ut Deitas participetur in intellectu secundum rationem objecti, necesse est, ut interveniat voluntas ex parte subjecti psychologici. Deitas tamquam objectum proprium participatur in fide. In fidē etiam constanter invenitur, in ipsa ratione assensus ad revelata (consentimiento), obscuritas objecti participandi. In qua „obscuritate“ innuitur semper apud S. Auctorem privatio; abnegatio<sup>2)</sup>. Tunc etiam semper ibi interventio voluntatis propriissime inquirenda. Sic autem structura psychologica fidei nullo modo explicite docetur, tangitur tamen certissime. Difficultas stat hic instantum, inquan-

<sup>1)</sup> „el entendimiento y las demás potencias no pueden admitir ni negar nada sin que venga en elio la voluntad“. S. III, 34, 1.

Cf. comparative textus: SI, 3, 1, — SII, 2 — SII, 3, 1.

tum fides non tractatur separatim et abstracte in operibus s. Joannis a Cruce; docetur in totali descriptione vitae supernaturalis animae, in progressu unionis supernaturalis, ubi praeter fidem etiam aliae interveniunt virtutes supernaturaliter unitivae. Tunc autem nemo valet asserere praedictum interventum voluntatis esse proprium structurae psychologicae fidei, immo certo certius constat ipsum provenire etiam ab amore supernaturali et augmento huiusce virtutis inservire<sup>1)</sup>; agitur enim certissime in tota teatralogia S. Doctoris Mystici de fide intime formata caritate, numquam de informi. Propterea tamen dictum est structuram psychologicam fidei non doceri et determinari explicite, solummodo tangi aliquatenus et innui. -

Immo generaliter loquendo, s. Joannes a Cruce non tam docet structuram psychologicam vitae interioris (etsi uberrime particularia psychologiae mysticae nobis describat), quam complexum conditionum psychologicarum, quae sunt necessariae, ut supernaturalis participatio magis ac magis abundet in anima et in potentiis eius. Talis est generaliter aspectus cuiuslibet operis, aspectus preeprimis theologicus. Unio divina animae consistit formaliter in participatione Deitatis, cui favet in quolibet subiecto aliqua species psychologica virtutis. Quanto magis augetur participatio formalis pro qualibet virtute theologica, tanto magis purificatur et species psychologica virtutis exercendae et magis adaptatur ad uberiorem participationem divinam.

Quod optime videtur in fide. Nox activa spiritus docet nos utique speciem activam huius virtutis exercendae. Participatio divina reddit intellectum agere secundum rationem obiectivam sui. Intellectus removens in fide connaturales sibi intellectiones circa divina, operatur certo certius secundum logicam et mensuram divinae participationis, operatur in functione eius. Ipsum operari est intellectus, ratio tanem huius operari, ipsa logica eius manifestat intellectum ibi agentem non in virtute propriae naturae, sed in functione superioris participatae, quae

---

<sup>2)</sup> SII, 24, 8 textus superius cit.

sic intellectui non tantum obiectum supernaturale intimat, sed etiam subiectivam speciem operandi eius intime informat. Ipsum agere est intellectus, ratio tamen et radix huius operari apparent supra-intellectualis, supra-psychologica, supra-naturalis. Sic autem in nocte activa spiritus, ubi fides tamquam virtus, psychologicum aspectum sui pro parte exercitii uberrime ostendit, invenitur tamen simul intima ratio eius suprapychologica et supernaturalis. Psychologica autem species virtutis non nisi in functione supernaturalis participationis.

Sic apparet sub aspectu activo fides, sic operatur qua virtus. Haec virtus est medium unionis intellectus cum Deo sub intima ratione Deitatis. Tunc iuste inquiri potest praeter intimam relationem unitivam, quae semper subest tamquam ultima ratio quibuslibet manifestationibus huius virtutis, ipsa positiva actualisatio unitivae huius relationis intellectus cum Deo. Tota enim operatio fidei in nocte activa spiritus, etsi intime fundata in hac unitiva relatione ad obiectum divinum qua tale, manifestat tamen aspectum potius negativum ipsius, removendo illa, quae accidentur praeter vel etiam contra relationem unitivam intellectus ad Deitatem ipsam obiective sibi intimatam. Agitur nunc de aliqua actualisatione positiva praedictae unionis, ubi intellectus habitu intime unitus cum Deitate sub ratione obiecti, actu etiam feratur in illam, non quidem per modum removentis connaturales sibi species intellectionis claras, sed per modum intuentis et contemplantis ipsam Deitatem, cui tamquam obiecto intime manet in fide unitus. Agitur tamen tunc de alia omnino actualitate fidei, in qua supernaturalis participatio non reddatur sub specie psychologica virtutis exercendae, sed sub propria specie theologica. Talis actualitas vocatur apud s. Joannem a Cruce contemplatio.

##### 5. CONTEMPLATIO — SUPREMA ACTUALITAS FIDEI.

Quod contemplatio intelligi valeat tamquam suprema actualitas fidei, hoc videtur omnino fundatum in textibus S. Auctoris. Praeter illos, in quibus s. Joannes a Cruce contemplationem

vocat intelligentiam simul obscuram, confusam generalem et amorosam<sup>1</sup>), quae animae communicatur in fide, veniunt alii adhuc textus, in quibus magis innuitur, quomodo communicatio ista fiat. Sic ergo processus ipsius fieri contemplationis plenissime describitur in SII, 29, 6, sub alio autem aspectu in Cant. 13, 12—14.

In SII, 29, 6 addiscimus contemplationem fieri in fide, quando scilicet animae et intellectui recollecto in fide, (non in aliquo tentamine intelligendi revelata, sed in obscura, in psychologice vacua adhaesione intellectus revelatis mediantibus ad ipsam divinam essentiam, quae in ipsis intellectui intentionaliter unita est) quando ergo intellectui sic recollecto in fide accidit nova communicatio Spiritus Sancti per dona Eius, quae in caritate connexa, semper expectant hanc divinam illuminationem. Quando autem haec actu fit, tunc fides efficitur contemplativa, tunc intellectui „communicatur tota sapientia divina modo generali (i. e. sine particularibus et connaturalibus intellectionibus). Et haec communicatio dicitur genuinis verbis S. Doctoris Mystici „Filius Dei, qui animae communicatur in fide“. Intelligere ergo oportet secundum hanc expressionem et similes, quae quandoque in operibus S. Auctoris obveniunt, in fide agi de communicatione increatae Sapientiae divinae, ipsius Verbi, quod, cum in Jesu Christo seipsum nobis manifestavit et in doctrina Eius divina revelavit mysteria<sup>2</sup>), tum in fide intrat in contactum intimum

<sup>1</sup>) Sic in pluribus locis, immo in plurimis, cf. v. g. SII, 10, 4; ibid. 24, 4 etc.

<sup>2</sup>) ....cuanto más pura y esmerada está el alma en fe, más tienc de caridad infusa de Dios: y cuanto más caridad tiene, tanto más la alumbría y comunica los dones del Espíritu Santo, porque la caridad es la causa y el medio por donde se les comunica. Y aunque es verdad que en aquella ilustración de verdades comunica al alma él alguna luz, pero es tan diferente la que es en fe, sin entender claro, de ésta, cuanto a la calidad, como lo es el oro subidísimo del muy bajo metal; y cuanto a la cantidad, como excede la mer a una gota de agua. Porque en la una manera se le comunica sabiduría de una o dos a tres verdáles, etc., y en la otra se le comunica toda la sibiduría de Dios generalmente, que es el Hijo de Dios que se comunica al alma en fe.“ SII, 29, 6.

cum qualibet anima fideli et cum quolibet intellectu credenti. Faciens autem ipsum credere, facit sic participare illum in Seipso, in hac scilicet Sapientia increata, qua Deus ipsam suam divinam essentiam perfecte et exhaustive cognoscens, hanc plenitudinem suae infinitae perfectionis cognitae in personali Verbo consubstantialiter et coaeterne genito, exprimit. Sic ergo S. Joannes a Cruce loquitur de participatione Verbi. Quae participatio plena et clara fiet in Patria<sup>1</sup>), nunc autem in statu viae eadem quoad essentiam participandi datur in fide, experimentalis autem fit in contemplatione mystica<sup>2</sup>.

Talis videtur breviter mens S. Auctoris de hac re, comparatis diversis textibus. Quod ad fidem ipsam pertinet, apparet hic optime pars eius propria in contemplatione mystica. Ostenditur enim contemplationem non posse asserri fidei actualitatem in hoc sensu, quod contemplatio sit actus fidei — virtutis et in motione huius virtutis tamquam determinata perfectio ipsius actu reddendae consistat. Apparet enim optime in praedicto textu SII, 29, 6 ipsum fieri contemplationis huius scilicet intelligentiae obscurae et generalis, confusae et amorosae, Dei efficientur provenire ab illuminatione Spiritus Sancti mediantibus donis Eius. Sic statim intelligatur aliqua passivitas ex parte subiecti psychologici, docilitas et oboedientia in recipienda hac motione illuminativa divinitus. Simul tamen indicatur magna

<sup>1</sup>) Cf., ibid., 22, praesertim autem ibid., 22, 4 et sequ., ubi s. Joannes a Cruce explicita docet hanc manifestationem Deitatis in ipsa persona Iesu Christi, cui adhaerendum est in simplici fide, ut intremus credentes in ipsam plenitudinem mysteriorum Dei.

<sup>2</sup>) „El dia, que es Dios en la bienaventuranza, donde ya es de dia a los bienaventurados ángeles y almas que ya son dia, les comunica y pronuncia la palabra, que es su Hijo, para que le sepan y le gocen. Y la noche que es la fe en la iglesia militante, donde aun es de noche, muestra ciencia a la Iglesia, y por el consiguiente, a cualquiera alma, la cual le es noche pues está privada de la clara sabiduria beatifica; y en presencia de la fe, de su luz natural está ciega.“ S II, 3, 5.

„...en alguna manere, est a noticia oscura amorosa, que et la fe, sirve en esta vida para la divina unión, como la lumbre de gloria sirve en la otra de medio para la clara visión de Dios“. S. II, 24.

intensitas et caritatis supernaturalis, in qua dona Spiritus Sancti connexa manent, et fidei, cuius ope adhaeret intellectus non particularibus revelatis, quaerendq; connaturaliter intelligere ex eis, sed ipsi essentiae divinae, quae est ratio formalis credendorum, et cui intellectus unitur sine intellectione clara, particulari et distincta. Sic ergo in ipso fieri contemplationis intervenit efficienter motio Spiritus Sancti, ipsae autem virtutes theologicae potius passive inserviunt motioni huic secundum solam suam formalitatem unitivam potentiarum cum Deo. Sic et fides, inquantum ipsam Deitatem per modum obiecti intellectui habet intimam. Ex hac ergo parte formaliter obiectiva videtur, textu diligenter scrutato, intervenire fides in ipso fieri contemplationis mysticae. En, propria ratio, quare contemplatio nominetur sapientia divina generalis, quae animae communicatur in fide; immo ipsum Verbum, quod in fide communicatur animae.

Dictum est superius: momentum fidei proprium in ipso fieri contemplationis mysticae in hoc consistit, quod obiectum formale fidei, ipsa scilicet Deitas participatur ibi secundum intensiorem vim motionis supernaturalis, quae a Spiritu Sancto venit mediantibus donis. Vidimus iam in praecedentibus, quomodo eadem Deitas participetur tamquam obiectum in fide secundum motionem ipsius intellectus credentis. Sic est in quolibet actu „consentimiento“, optime autem descriptum et investigabile in sic dicta nocte activa spiritus. Vidimus ibi: quaelibet abnegatio intellectionis clarae et distinctae circa divina accidit propter rationem Deitatis, quae, tamquam obiectum intimata intellectui in fide, nequit clare et distincte intelligi — et per consequens postulat ab intellectu abnegationem cuiuslibet clarae intellectionis. Sic autem motio intellectus ad obiectum fidei terminatur in nocte et noctem operatur potentiae. Fertur autem in obiectum fidei modo quasi obliquo, non scilicet intuendo Deitatem, sed removendo non — divina. Intellectus potius scit, quid non sit Deus, quam, quid sit. Comparando nunc cum contemplatione fidei, apparet optime ista motio directa: intellectus Deitati unitus in fide, unitive fertur in eam sub motione Spiritus Sancti, utique

non secundum psychologicam plenitudinem unionis huius potentiae cum connaturali eius obiecto, nihilominus tamen secundum puritatem ipsius relationis unitivae intellectus ad Deum.

Haec subiectiva puritas relationis unitivae intellectus ad Deum sub intima ratione Deitatis, quae advenit in contemplatione mystica, valet asserri tamquam summum evolutionis fidei. Haec etiam constituit propriam rationem, propter quam contemplatio valeat concipi tamquam summa actualitas fidei<sup>1)</sup>. Utique contemplatio non est simpliciter actus fidei; vidimus superius ex SII, 29, 6, quatae et quales interveniunt virtutes ad ipsum fieri contemplationis. Nihilominus tamen in contemplatione proprie in maxima puritate sui ponitur unitiva illa relatio intellectus ad Deitatem qua obiectum. Fides autem asseritur medium proprium talis unionis. Haec puritas unitivae relationis intellectus ad Deitatem tamquam obiectum coïncidit, immo intime connectitur cum maxima intensitate participandi intellectus in sapientia divina. Vidimus optime in decursu noctis activae spiritus, in quantum participatio intellectus in obiecto divino qua tali purificativa sit pro intellectu partice. Immo, secundum mentem genuinam S. Doctoris Mystici opus purificationis talis pertinet ad fidei essentiam tamquam munus proprium eius, tamquam correspondens ipsi unitivo muneri huius virtutis<sup>2)</sup>. Fides

<sup>1)</sup> Conceptio talis immo fundatur in textibus, praecipue autem in SII, 5, 2, ubi s. Doctor asserit unionem actualē-potentiarum animae cum Deo dari non posse in hac vita modo permanenti, nonnisi transeunti. Sed fides constituit proprie virtutem unitivam pro intellectu. Tunc unio habitualis huius potentiae cum Deo intelligatur in ipso facto fidei permanentis in intellectu (unio habitualis asseritur permanens). Unio autem actualis, quae solummodo transeunter accedit intellectui, valet proprie intelligi in contemplatione, quando haec fit in intellectu — immo nequit intelligi aliter. Tunc tamen contemplatio apparet tamquam actualitas fidei unitivae.

<sup>2)</sup> „...como las tres virtudes teologales, fe, esperanza y caridad, que tienen respecto a las dichas tres potencias (scil. intellectum, memoriam et voluntatem) como propios objetos sobrenaturales y mediante las cuales el alma se une con Dios según sus potencias, hacen el mismo vacío y assuridad cada una en su potencia. La fe en el entendimiento.). S II, 6, 1.

simul unit intellectum cum divino obiecto et simul efficit vacuum et tenebras subiecti sui psychologici i. e. intellectus. Hoc modo s. Joannes a Cruce definit fidem. Ambo autem aspectus intime connectuntur ad invicem, prout vidimus semper in praecedentibus. Participatio Deitatis tamquam obiecti in intellectu provocat purificationem subiecti. Quae purificatio intelligatur sub symbolo „noctis“. Subiectum autem melius ac melius purificatum contactu suo intentionaliter unitivo cum essentia divina in fide, simul magis ac magis participat in divino obiecto fidei. Talis mutua dependentia iungit ad invicem istas duas functiones fidei: unitivam et purificativam. Ratione unionis purificat, purificat autem propter unionem.

Ex hac ergo parte fides qua virtus etiam efficienter cooperatur ad contemplationem. Efficienter etiamsi remote. Immediate efficientia contemplationis venit a Spiritu Sancto movente in donis suis. Remote tamen et possilitas et multo magis puritas et perfectio contemplationis dependet etiam a purificatione activa intellectus, quam operatur fides. Omnes conatus noctis activae spiritus ipsi inserviunt. Conatus autem isti non intelligentur aliter nisi actus „consentimiento“ positi secundum plenam rationem participandi intellectus cum sua intima tendentia visiva in ipsa essentia divina, quae tamen connaturaliter intellectui non potest exhaustive et satiative concipi, non potest videri. Haec ratio eadem invenitur in quolibet actu „consentimiento“ — assensus ad revelata („fides non est sciencia“, non est, quia non potest esse). Omnes autem actualisationes fidei in nocte activa spiritus eandem continent rationem eminentiori modo et valde explicito. In omnibus autem istis invenimus operationem intellectus intime moderatam vi obiecti divini intimati sibi in fide. Intellectus apparet sic in functione divinae participationis. Istud autem operari intellectus in functione participationis divinae, quod constituit fidem secundum aspectum activum naturae eius, immediate operatur noctem intellectus, mediate tamen praeparat hanc potentiam ad illam participationem divinae intelligentiae et sapientiae, quae tamquam obscura, generalis et confusa, simul autem amorosa intelligentia

divinorum vocatur proprie contemplatio fidei. In contemplatione mutatur modalitas psychologica operandi intellectus in divinitus participatam per dona Spiritus Sancti. Motio immediata fit divina. Simul etiam fides apparet sub passivo aspectu naturae suae, in quo intellectus non amplius operatur in functione divinae participationis, sed proprie patitur in functione divinae participationis. Sic autem terminantur omnes conatus huius potentiae in fide ordinati per viam abnegationis intellectualis ad eruendam intimam intellectui in fide relationem unitivam ad Deitatem tamquam obiectum proprium ex conditione psychologica et statuendam ipsam in maxima puritate suae intimae theologicae perfectionis, quae videtur possibilis in hac vita. Haec theologica perfectio virtutis fidei, quae est proprie unitiva huius virtutis, non videtur alia, nisi ipsa participatio sapientiae divinae, participatio ergo Deitatis tamquam obiecti in participatione ipsius intelligendi et sapiendi divinitus ex parte subiecti. Omnes praecedentes conatus animae, tales ut in nocte activa spiritus vidimus, huic fini inserviunt. Omnes tamen simul, in quantum psychologici, motionem potentiae naturalis in suo modo operandi ferentes, non possunt perfectionem illam theologicam fidei experimentaliter reddere intellectui. Omnes illi fiunt in functione divinae participationis, non tamen ipsius participationis expertem faciunt intellectum, quando et in quantum potentia illa activa manet in participando. In activitate eius est vera participatio intelligentiae et sapientiae divinae, immo activitas talis nequit aliter explicari nisi participatione praedicta—nihilominus potentia conscientia manet partis suae in illa, expers sui proprii modi operandi secundum particulares conceptus, quorum connaturalis claritas constanter quaeritur<sup>1)</sup>. En, omnia ista statim cessarunt

---

<sup>1)</sup> „...todas estas formas ya dichas, siempre en su aprensión se representan, según habemos dicho, debajo de algunas maneras y modos ilimitados, y la Sabiduría de Dios, en que se ha de unir el entendimiento, ningún modo ni manera tiene, ni cae debajo de algún límite ni inteligencia distinta y particularmente, porque totalmente es pura y sencilla. I como quiera que para iuntarse dos extremos, cual es el alma y la divina Sabi-

in contemplatione. Non cessarunt utique aequaliter in quolibet actu eius, contemplatio enim admittit gradus secundum gradus actualis puritatis intellectus. Gradus autem actualis puritatis in intellectu<sup>1)</sup> idem est ac gradus habitualis perfectionis fidei. Quanto enim purior intellectus a distinctis speciebus circa divina, quanto „obscurior“, tanto intensius et profundius participatur in ipso Deitas secundum rationem obiecti intimata.

Talis videtur omnino pars fidei in contemplatione. Motio Spiritus Sancti utique venit secundum beneplacitum divinum, non ad nutum credentis, nihilominus tamen possibilitas eius ex parte subiecti ponitur in fide et gradus perfectionis participandi eam dependet ab anteacta purificatione intellectus in fide. In contemplatione attingit anima perfectionem illam suae supernaturalis unionis cum Deo, quae apud s. Joannem a Cruce vocatur „transformatio“. Pro intellectu transformatio talis designat proprie motionem divinam in donis Spiritus Sancti, quando ipse desinit intelligere operando sua virtute propria, luce sua naturali in fide, incipit autem intelligere et sapere vi ipsius divinae sapientiae, cum qua manet unitus in fide. Cf. ad rem textus NO II, 4, 2, ubi apertissime loquitur S. Auctor de hac mutatione

---

entre sí; de aquí es que también el alma ha de estar pura y sencilla, duría, será necesario que vengan a convenir en cierto medio de semejanza no limitada ni atenida a alguna inteligencia particular, ni modificada con algún límite de forma, especie e imagen. Que pues Dios no cae debajo de imagen ni forma, ni cabe debajo de inteligencia particular, tampoco el alma para caer en Dios, ha de caer debajo de forma o inteligencia distinta". SII, 16, 7.

<sup>1)</sup> „...esta noticia general... es a veces tan sutil y delicada, mayormente cuando ella es más pura y sencilla y perfecta, y más espiritual e interior, que el alma, aunque está empleada en ella, no la écha de ver ni la siente. Y aquesto acaece más cuando decimos que ella es en sí más clara, perfecta y sencilla; y entonces lo es cuando ella embiste en el alma más limpia y ajena de otras intelligencias y noticias particulares, en que podria hacer presa el entendimiento o sentido... ...y asi, por el contrario, cuanto ella está en sí en el entendimiento menos pura y simple, más clara y de más tomo le parece al entendimiento por estar ella vestida o mezclada o envuelta en calgunas formas intellegibles en que quede tropezar el entendimiento, o sentido". SII, 14, 8.

in modalitate operandi intellectus et aliarum potentiarum animae, quae autem mutatio venit cum motione divina, sub qua fides — participatio divinae intelligentiae non exercetur amplius per modum intellectus, sed ex modalitate tali eruitur et exercetur modo proprie divino, exercetur tamquam participatio non tantum intelligentiae et Sapientiae Dei (quia haec valet concipi etiam cum modalitate intellectus, quando ipse in fide fertur ad Deitatem tamquam obiectum proprium), sed immo tamquam participatio ipsius intelligendi et sapiendi divinitus. Participatio ergo divinorum non in obiectiva tantum, immo etiam in subiectiva acceptione sui. Sic autem manifestatur fides secundum intimam perfectionem suae naturae. Haec consistit pro s. Joanne a Cruce in participatione Deitatis, cuius ope intellectus — subiectum fidei fit divinus „por participación“.

Sic ergo unio intellectus cum ipsa essentia divina, cuius unionis proportionatum medium asseritur fides, includit primo momentum obiectivum, quod actu redditur in quolibet assensu intellectus ad revelata. In hoc enim assensu intellectus adhaeret in revelatis ipsi essentiae divinae, quae sibi tamquam obiectum intentionaliter intimatur. Praeter momentum obiectivum datur adhuc pars subiectiva unionis. Hanc determinavimus tamquam participationem ipsius intelligendi et sapiendi divinitus, ipsius operationis divinae. Experimentaliter participatio haec venit in contemplatione propter motionem illuminativam Spiritus Sancti mediantibus donis Eius. Et solummodo talem possumus invocare „transformationem“ intellectus. „Transformatione“ haec, prout vidimus, perficitur in fide, in quantum participationem divini obiecti operatur in ea non intellectus active, sed intellectu reticente et passivo, ipsa motio illuminativa Spiritus Sancti. Tunc intellectus expers et conscientia suae participationis in ipso sapere et intelligere Dei, directe fertur ad obiectum talis intelligentiae et sapientiae, ad ipsam Deitatem, quae sibi in fide unitur<sup>1)</sup>.

---

<sup>1)</sup> Cf. Cant. 13, 12—15, ubi S. Auctor alio modo describit contemplationem. Haec fit in intellectu per modum redundantiae ab experientia

Manet una adhuc quaestio necessaria resolvi, ut doctrina s. Joannis a Cruce de fide tota videatur. Utrum scilicet illa subjectiva participatio ipsius intelligendi et sapiendi divinitus, quae explicite docetur a S. Auctore in contemplatione, inveniri possit in qualibet actualisatione fidei, etiam praeter hanc mysticam, quae proprie contemplatio nominatur? Tunc autem: quidnam proprie faciunt dona Spiritus Sancti in contemplatione et ipsa Eius motio? Utrum totam rationem istius sapiendi et intelligendi divinitus participati donis adscribere debeamus, an etiam in sola fide aliqua principia illorum lateant, motio autem Spiritus Sancti non facit, nisi relevare ex fidei operatione absconditam ibi participationem intelligendi et sapiendi divinitus et reddere intellectum expertem illorum in contemplatione? — Omnibus ergo perpensis altera haec conceptio videtur conformior textibus S. Doctoris et generali lineae doctrinae eius. Numquam utique docet illam explicite. Sed s. Joannes a Cruce de nulla virtute vitae supernaturalis loquitur omnino separatim et abstrahendo ab aliis. Omnes connectuntur, omnes vitali modo evolvuntur, omnes simul unionem animae cum Deo ope-

---

„tactus divini“ („el toque“). Ipse tactus designare videtur intensam experientiam supernaturalem, ..., de lo cual se deriva en el entendimiento el silbo de la inteligencia“. Intelligentiam illam valde subtilem experitur proprie intellectus possibilis, ubi passive ipsa recipitur. Proinde etiam causat uberrimam delectationem, fruitionem contactus unitivi cum ipsa Deitate. Intellectus agens quietatur, cessat a sua operatione, cessant ergo simul omnia accidentalia processus unionis intellectualis, omnia phantasmata, omnes particulares intellections. Immo — intellectus tunc possibilis ipsa gaudet „sustancia entendida“, non utique modo claro sicut in visione Patriae, sed in obscuritate fidei, attamen cessantibus omnibus particularibus, quae connaturalia sunt intellectui, illa sola remanet in fide. Non est intellectio Eius connaturalis intellectui, qui solummodo passive experitur eam, (non videt) in motione Spiritus Sancti. Nihilominus en experientia tali fides profundissime aperitur secundum rationem suam obiectivam. Ulterius nequit evolvi, Deitatem habet pro obiecto, Deitati proprie unitur, Deitas per fidem intimatur obiective intellectui. Nunc in tali experientia ut descripta in Cant. 13. intellectus attingit totam rationem participandi in Deitate, quae ipsi possibilis redditur in hac vita per fidem.

rantur. Similiter et in qualibet virtute particulari non distinguitur speculative momentum obiectivum a subiectivo. Ratio ergo distinguendi analysi textuum eruenda et sic asserenda vel quandoque solummodo suadenda est. Sic etiam suadetur solutio quoad ultimam quaestionem. Quando s. Joannes a Cruce scribit: contemplatio communicatur in fide, immo quando contemplationem fidem vocat, tunc utique concipit fidem non sub aspectu psychologico virtutis, sed secundum proprie theologicam rationem participandi intellectus in Deitate. Participatio haec, intrinsece et intime eadem in fide, diversas assumit sibi species in subiecto. Germina contemplationis latent iam in primo assensu ad revelata (consentimiento), „consentimiento“ autem perdurat usque ad summum gradum contemplationis possibilem in hac vita. Gradus perfectionis fidei potest in abstracto determinari secundum gradum participationis intellectus in Deitate et obiective et subiective simul. In concrēto etiam obiectiva et subiectiva participatio simul apparent. Sic ergo in quolibet assensu ad revelata, in qualibet actualisatione fidei decursu noctis activae spiritus profunda analysis adducit nos asserere non tantum participationem in obiecto divino, sed etiam subiectivam participationem intelligendi divinus. Utique ipsa non resolvitur in aliqua positiva specie exercitii, experimentaliter non redditur potentiae secundum propriam rationem sui. Hoc fit solummodo in contemplatione sub motione Spiritus Sancti. Nihilominus iam in qualibet „psychologica“ actualitate fidei invenitur. S. Joannes a Cruce reddit eam per modum contrarii. Quando intellectus non videt obiectum (no es ciencia...) et tamen assentit revelatis, (in ipsis autem adhaeret Deitati tamquam obiecto), immo plus — quando reicit intellectus quaslibet claras et distinctas, sibi connaturales propter obscuritatem obiecti fidei omnino supernaturalis et excessivi intentionaliter, tunc utique faciliter constat intellectum sic operantem supra rationem naturalis suae operationis non operari nisi in functione superioris alicuius intelligendi et sapiendi, in participatione eius. Superius istud intelligere et sapere non est, nisi divinitus participatum. Sic optime explicatur propter rationem obiecti. Attamen par-

ticipatio ista intelligendi et sapiendi divinitus, quae utique dominatur totum processum „consentimiento“, totam operationem noctis activae spiritus, simul quasi absconditur in psychologica modalitate exercitii sui. Intellectus non experitur eam nisi in aliquo negativo, in „obscuritate“, in „nocte“, in abnegatione. Incipit primo experiri eam in aliquo positivo, etsi semper cum obscuritate, quando sub motione divina Spiritus Sancti statuitur in actu contemplationis. Tunc cessat psychologica modalitas fidei exercendae, aperitur autem ipsa theologica substantia eius operari, quae consistit in participatione ipsius intelligendi et sapiendi divinitus.

Propter quod fides docetur apud s. Joannem a Cruce tamquam intima praeparatio intellectus ad visionem beatificam Patriae<sup>1)</sup>). Praesertim autem „transformatio“ participativa — contemplatio secundum sensum superius descriptum innuitur tamquam praeparatio immediata subiecti psychologici ad claram participationem divini obiecti in participatione continua ipsius intelligendi et sapiendi divinitus<sup>2)</sup>.

#### 6. ULTIMAE CONCLUSIONES ET ANIMADVERSIONES.

a. Non habemus in operibus s. Joannis a Cruce doctrinam de fide omnino completam. Datur potius specialis aspectus doctrinae (fides tamquam proportionatum medium unionis intellectus cum Deo), in quo tamen virtualiter includuntur multa ad naturam fidei considerandam pertinentia. Ista debent dili-

<sup>1)</sup> Cf. v. g.: „...la fe ...contiene en sí la divina luz; la cual acabada y quebrada por la quiebra y fin de esta vida mortal, luego parecerá la gloria y luz de la Divinidad que en sí contentia“ SII, 9, 3.

<sup>2)</sup> „....contemplación infusa; por cuanto es sabiduría de Dios amorosa, hace a Dios principales efectos en el alma, porque la dispone purgándola e iluminándola para la unión de amor con Dios. De donde la misma sabiduría amorosa que purga los espíritus bienaventurados ilustrándolos, es la que aquí purga al alma y la ilumina“. NO II, 5, 1.

gentissimo scrutinio e textibus operum erui, ubi non tam speculatio de fidei natura, quam descriptio vivida fidei actu exercendae traditur.

b. Ad conceptionem genuinam naturae fidei secundum mentem S. Doctoris Mystici elaborandam duo concurrunt: praesuppositum metaphysicum et descriptio particularium fidei actu exercendae. In una et in altera linea docetur fides-medium unionis intellectus cum Deo. In linea metaphysicae considerationis deducimus genuinam conceptionem S. Auctoris de fidei natura ex analysi notionum talium ut „medium proportionatum“ — „proportio similitudinis“ — „similitudo essentialis“, analysi peracta secundum omnes exigentias contextuum. Sic autem pervenimus ad convictionem illam, quod fides sub metaphysico et abstracto conceptu naturae eius non intelligatur aliter ac participatio divinae intelligentiae. Haec constituit intime ipsum eius theologicum ens, vi cuius capax ipsa evadit, ut intellectum faciat transcendere ad Deum sub intima ratione Deitatis (facultas transcendentiae theologicae) et in hoc sensu potentiam hanc divinis assimilet.

c. Inquirendo nunc in linea exercitii et experientiae, instituimus potius opus inductionis de fidei natura ex multis ipsam manifestantibus. Et etiam in hac linea invenitur ratio participandi divinam intelligentiam et sapientiam tamquam constitutiva naturae fidei. Apparet istud optime et modo experimentaliter in contemplatione mystica. Sed contemplatio mystica — videatur nobis — nequit aliter intelligi ac summa actualitas fidei, haec proprie reddens intimam rationem naturae eius in plena luce. Tunc ergo in qualibet actualisatione fidei, etiam non mystica, etiam cum modalitate psychologica intellectus in exercendo, includitur haec participatio. Scrutando tunc secundum mentem s. Joannis a Cruce assensum fidei ad revelata (consentimiento), praecipue autem operationes fidei in sic dicta nocte activa spiritus, invenimus istam rationem participandi divinam intelligentiam eandem et sapientiam tamquam ultimam et intimam vim cuiuslibet speciei exercendae in fide.

d. Sic ergo ultimus effectus considerationis abstractae de natura fidei et ultimus effectus inductionis peractae ex parte fidei actu exercendae — videtur idem. Hic conceptu abstracto, ubi argumento experientiae traditus. Praesuppositum metaphysicum valet in qualibet concreta specie exercitii. Verificantur proinde et confirmantur ad invicem.

e. S. Joannes a Cruce in operibus suis tradit de fide multo magis obiectivam rationem eius naturae quam partem motionis. Fides apparent unitiva pro intellectu viatoris primo propter rationem obiecti sui, quod in ea intellectui divinitus intimatur, quam propter motionem. Ultime motio fidei venit ab intelligere et sapere divinitus participatio. In actu tamen exercito induit sibi ex subiecto psychologico, in quo exercetur, psychologicam etiam speciem et modalitatem exercitii. In hoc apparent disproportio inter formalitatem obiectivam, in qua fides unit intellectum cum ipsa essentia divina qua tali et partem exercitii eius. Unde oritur „obscuritas“ intellectus. Fides enim non apparent tamquam statica participatio intellectus in essentia divina qua obiecto, sed dynamica. Haec dynamica fidei omnino intrinseca consistit in opere purificationis intellectus. In purificatione enim adaptatur intellectus successive ad obiectum suum omnino spirituale et supernaturale. Purificatio intellectus manifestat virtutem fidei secundum vim eius intimam et omnino specificam. En, quomodo intelligatur conceptio fidei s. Joanni a Cruce propria.

f. Modalitas psychologica motionis supernaturalis in fide, quae constanter causat obscuritatem, cessat aliqualiter in contemplatione mystica, ubi intellectus experitur motionem illuminativam divinam mediantibus donis Spiritus Sancti et sic expers fit ipsius Deitatis, quae sibi tamquam obiectum intentionaliter intimatur in fide.

g. Reasumendo omnia ista, fides una adhuc vice apparent tamquam virtus participandi divinam intelligentiam.

h. S. Joannes a Cruce non habet tractatum de fidei natura omnino completum. Ostendit nobis fidem tamquam relationem unitivam intellectus cum Deo, cum solo obiecto divino. Haec est fides transcendentiae. Scimus tamen aspectum illum non esse unicum in fide nec exclusivum. Scimus fidem habere pro obiecto proprio etsi non formali nec primario et res creatas secundum relationem earum ad Deum. De hac aspectu fidei S. Doctor tacet, et ex parte obiecti et ex parte motionis. Fides apparent apud eum solummodo ut medium proportionatum unionis intellectus cum Deo, et sub hoc aspectu investigata supremam et omnino formalem partem naturae suae ostendit.